DE

VETERIBUS

Jure Consultis

Commentarius,

è quorum Legibus Iustitiæ Romanæ Templum exstructum est,

à

NICOLAO HENELIO

JCto, Sacr. Cæsar. Majest. nec non Illustriss. Principis Lignic. Consiliario, Ducatus Monsterbergici ProCancellario, inclytæque Uratislav. Reipubl. Syndico instructus.



LIPSIÆ

Impensis Tobiæ Riesen/ Bibl.

Excud. Joh Wittigau. An. M. DC. LIV.

Laurentius Valla in præfat. lib, 3. Elegant.

PErlegi proximè quinquaginta Digestorum libros, ex plerisq; Jurisconsultorum voluminibus excerptos, & relegi cum libenter, tum verò quadam cum admiratione: primùm, quòd nescias, utrũ diligentia ne an gravitas, prudentia an æquitas; scientia rerum, an orationis dignitas præstet, ac majori laude digna esse videatur: deindè quod hæc ipsa in unoquoq; illorum omnia sunt egregia & perfecta, ut vehementer dubites, quem cui præferendum putes.

Iterumq; sub præfat. finem. *Tantum deberi puto hujus facultatis libris, quantum illis olim, qui Capitolium ab armis Gallorum atq; insidiis defenderunt: per quos factum est, ut non modò tota urbs non amitteretur, verùm etiam, ut tota restitui posset. Itaq; per quotidianam lectionem Digestorum, & semper aliquâ ex parte incolumis atq; in honore fuit lingua Romana, & brevi suam dignitatem atq; amplitudinem recuperabit.*

Illustrissimo & Celsissimo
PRINCIPI AC DOMINO
Dn. GEORGIO- RUDOLPHO,
DUCI SILESIÆ, LIGNICI, BREGÆ ET
GOLDBERGÆ, &c. Supremæ per utramque
Silesiam Præfecturæ Cæsareæ Administratori:

DOMINO AC PRINCIPI MEO CLEMENTISSIMO.

S.

VEterum Jureconsultorum sententias, EXCELSISSIME PRINCEPS, ad *duo penè millia librorum, & plusqvam trecentas myriadas versuum* pertigisse, ex titulo Codicis de *vet. jur. enucl.* discimus. Qvo qvidem loco sicut dubium non est, per versûs intelligi periodos, membra orationis integra sive sectiones, qvomodo hodieq; Biblia sacra utiliter legimus distincta, & ipsi versus appellamus: ita nobiliss. Caspari Barthio, τῷ τῆς ἀῤῥήτȣ σοφίας, dum vixit, μύςῃ, haut difficulter adsenserim, aut numerum in illis Jureconsultorum versibus peccare, aut horum distinctiones longè cæterorum scriptorum fuisse prolixiores. Nam alioqvi immensa illa volumina veterum Jurisprudentum tot seculis conscripta, qvæq; impenetrabili Oceano æqvat, & nulla humana ope explicari aut concludi naturâ posse, ait Justinianus, minima portio unius

atq; alterius è veteribus Scriptoribus fuerint Nam Zervastris solius tantam copiam, ut istam omnem penè exæqvet, numerant veteres. Et fuerunt, qvi Aristotelem plus decem versibus excesserunt, cujus tamen libri, Diogene teste, *μυριάδας σύχων τέτταρας καὶ τετταράκοντα πρὸς πέντα χιλίοις καὶ διακοσίοις ἑβδομήκοντα*, h. e. qvadraginta qvinq; millia; versuum, itemq; ducentos septuaginta continebant. Qvicqvid verò hujus sit, illud utiq; satis constat, non aliàm ob caussam, qvàm qvòd Jurisprudentiæ Romanæ ob immensam diffusamq; legum copiam ea cœpisset ratio, ut, sicut imputata vitis latè se spargit, & infructuosa est, sic ipsa labruscas jam pro uvis generet, Justinianum Imperatorem gloriosissimum, *majestatem Imperatoriam non solùm armis decoratam, sed & legibus oportere esse armatam*, verissimè persvasum, & qvem adeò *ἀναλφαβήτῳ* qvovis imperitiorem fuisse, falsissimum Svidæ probrum est, vel ex Schedâ regiâ Agapeti Diaconi satis superqvè refellendum, ad emendationem Juris (id qvod jam olim Q. Julius Cæsar facere destinaverat, & Tullius ipse non cogitaverat modò, sed &, ut fieri posset, singulari docuerat libro) animum adjecisse, ob idq; Triboniano, Viro Magnifico, Magistro & Exqvæstori Sacri Palatii & Exconsuli demandasse: ut ipse in laboris tam gloriosi societatem

Con-

Constantino, Theophilo, Dorotheo aliisq; illustribus Viris, universoq; adeò collegio Antecessorum, Constantinopoli ac Beryti, in illâ legum Romanarnm nutrice, qvæ apud Nonnum Dionysiacorum libro XLI extremo

τερπνῦς

Φοινίκης κλυτὸν ἄςυ, νόμων ἕδος Αυσονιήων

insigni elogio nuncupatur, jura interpretantium, ac totâ insuper Advocatorum cohorte, qvi caussas agebant & judicia exercebant, adscitis, universum Jus antiqvum, qvicqvid à prudentibus ad leges duodecim tabularum, interpretationem petentibus responsum, quicquid à Prætoribus, adjuvandi, supplendi vel corrigendi istius juris gratia, quicquid deniq; à populo, Senatu, tandemq; à Principibus, in qnos legeRegiâ omne jus atq; potestas translata erat, constitutum literisq; proditum fuerat, qvatenùs præsentis sequentisq; Reip. formæ convenire atq: utile esse videretur, ex copiosissimis veterum ICtorum, non quidem omnium, sed maximè probatorum, quibus respondendi de Jure auctoritas à Principibus concessa fuit, commentariis decerptum, in corpus quoddam certum conjiceret ac quasi coarctaret.

Quod quidem opus triennio perfectum, juxta ordinem Edicti perpetui, quemadmodum id à Sal, Juliano compositum fuerat, conforma-

tum, in ſeptem partes diviſum, quinquaginta libris, quadringentis quadraginta titulis, novies mille centum nonaginta octo legibus, centum autem quinqvaginta penè millibus verſuum (ipſo ſic aſſerente Juſtiniano) comprehenſum, ſub Digeſtorum ac Pandectarum nomine publicatum, nec niſi ex imperiali auctoritate vigorem ſuum habere juſſum fuit: prudentibus quidem, ex quorum ſcriptis conflatum eſſet, hoc honore habito: ut ipſorum nomina ſingulis legibus præmitterentur, atq; adeò inſcriptionibus iſtis ad fontes ipſos, ceu ſtatuis Mercurialibus, digitus intenderetur. Sed quo tamen in honoris lenocinio haut exiguus ineſt dolor, ob jacturam tot præclarisſimorum atq; immortalitate dignisſimorum operum irreparabilem: quam illi ipſi Juſtiniano imputandam haut pauci ſunt qui cenſeant: jurené an injuriâ disquirendum aliis relinquo.

Ego quidem ſicut Jureconſultis noſtris eam ſortem non eſſe adeò peculiarem, ut parem ſociumq; habeant neminem, imò potiùs cum multis optimæ notæ ſcriptoribus, iis maximè, quorum amplisſimos commentarios in epitomas ſive compendia inofficioſa quorundam ſedulitas redegit, communem agnoſco: ita quò rariora nobis ſuperſunt fragmenta, velut ex magno naufragio ſervati ſcalmi, eò & majoris facienda & peni-

penitiùs cognoſcenda ſtatuo. Ex qvo præſertim negari non poteſt, in iis ipſis fragmentis, præter ſemper & ubiq; venerandam jure antiqvitatem, ſtupendam optimarum rerum varietatem, ſummam eloqvii cùm puritatem, tum gravitatem, argutamq; in reſpondendo brevitatem, tàm ſagaciter & acutè, tamq; admirabili æquitatis temperamento pleraq; excogitata eſſe: ut in Bartoli noſtri, Baldi, Accurſii, cæterorumq; hujus claſſis interpretum ingenia tanta ſagacitas & ſolertia, tamq; erudita ſapientia cadere non potuerint. Quod ut apud me qvidem extra aleæ eſt controverſiam, tot præſertim laudatisſimis eruditisſimisq; viris mihi ſuffragantibus: ſic gratias non mediocres, ſed infinitas merentur: qui illis priſcorum Juris antiſtitum monumentis illuſtrandis omne oleum & operam impendunt: eorum qvoq; hautquaquam illaudata induſtria, qui vel loca, unde ſingulæ Pandectarum leges deſumtæ, accuratiùs exquirunt, ac diſperſas adeò & velut fugitivas ad ſuas quasque ſedes revocant, vel chronologiam ſive temporis rationem, quo quisque prudentũ vixerit aut ſcripſerit, inveſtigant: vel deniq; mores, virtutes ac res geſtas orbi litterato ad ætatum omnium memoriam repræſentant. Neque enim dici poteſt, quantam noticia iſta Jureconſulto futuro, in judicandis discutiendisq; reſponſis lucem afferat: quantum item generoſis mentibus ardorem addat: ut quos præterita omnis

ætas

ætas admirata eſt, quos omnis poſteritas colit, haud modò ex eorum ſcriptis prudentiam civilem hauriendo ad Aſtrææ culmen faſtigiumq; contendant, ſed & in vitas inſpiciendo, atq; indidem ſumendo ſibi exemplum, ad gloriam & verum decus rectâ graſſentur viâ. Quâ ſanè in re, ſuo quiſq; loco, Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, vir ſummus Jacobus Labittus & Wolfgangus Freimonius in Indicibus ſuis, Bernhardinus autem Rutilius in Juriſconſultorum veterum vitis, nec non Valentinus Forſterus in hiſtoria Juris Romani, operam tam utilem & præclaram navarunt: ut non minùs hoc nomine quàm aliis plurimis, plurimum ipſis Iurisprudentia noſtra debeat ac debitura ſit: Enim verè laudandus eſt, quisquis publicè prodeſſe, vel mediocri ſaltem aliquâ ſymbola collata ſatagit: usq; adeò, ut ex ſententia Philoſophi Madaurenſis, *ſatis ſit ad laudem etiam conari prædicanda.* Quod cùm & ipſe mecum perpenderem, rem neq; mihi indecoram, neq; ſtudiis cupidæ legum juventutis inutilem me facturum exiſtimavi: ſi eorundem ſelectorum ſcriptorum, quorum de verbis Digeſtorum capita, velut centones quidam, conſarcinata ſunt, vitas & elogia quædam, non equidem pro rei ac perſonarum dignitate (quis enim hoc præſtiterit?) at certè pro ingenii mei viribus adornarem: conſi-

lio utiq;, nisi ipse mihi vanâ credulitate blandior, minimè reprehendendo nec perdendo operæ præcio. Libellum sanè ipsum ei rei horis succisivis concinnatum, ubi nobilissimo Jureconsulto GEORGIO SCHONBORNERO de Schonborn, Consiliario Cæsareo, nunc ἐν ἁγίοις, legendum dedissem; ut judicio adhibito, quo pollebat, acerrimo, censuram ageret liberrimam: haut modò coram edendi illius auctor & svasor mihi fuit: sed & litteris in eandem sententiam humanissimè scriptis, ne laboris mei communicationem bono publico inviderem, amanter rogavit.

Tametsi verò plus fortassis amori ac benevolentiæ suæ, dum hoc scriberet, ὁμακαρίτης indulsit, editionem tamen sic quoq; persvasit: eò quidem magis, quod quamvis ejus unius sententiam velut vocem multorum haberem, tamen alii quoq; clarissimi viri, quorum æstimatio magna est apud multos, quosq; inter sicut præcipuè Amplissimum nuper Cancellarium Tuum D. Godofredum Baudisium, eximium Astrææ decus, ac præter studiorum communitatem, amicitiæ mihi sacro vinculo conjunctissimum nominare habeo, ita terris erepti sine mœstissimo gemitu, sine ægerrimis suspiriis recordari nequeo, magnoperè à me flagitarent dicam, an postularent: ut ne perpetuò premerem aut procrastinando

nimis intercidere paterer, ſed in apertam lucem tandem aliquando proferrem: quæ ætatem ferre poſſe ſibi haberent perſvaſisſimum. Sic ergò in ſcenam prodire liber juſſus, non lectores modò ac judices (quorum illos ſanè velim bonarum artium & hiſtoriæ non planè imperitos, Jurisprudentiæ ſtudioſos, hos autem mites & æqvos, non invidos & malignos, aut certè deniq; quamvis ſerios, dummodò ne nimis ſeveros) ſed & Patronum requirit: qui hanc ingenii mei fœturam nunc primùm in luminis oras enaſcentem tutelaribus manibus ſuſcipiat, foveat, protegat. Is verò hautquaquam mihi aut diu aut longè quærendus fuit. Tu enim, magne & inclyte Princeps, tanquam ſidus benignum mihi protinùs affulſiſti: quem cum inter cæteras virtutes planè divinas, quibus extra ambiguitatem natalibus Tuis æternum decus ipſe concilias, ſed quas unius anguſtiis præfatiunculæ velle concludere, id verò ſit

— *σχεδίῃ περάαν μέγα λαῖτμα θαλάσσης,*

juſtitiæ & æquitatis amantiſſimum, ac reſtituendæ adeò curiis priſcæ Sanctitudinis ardenti ſtudio & curâ flagrantiſſimum univerſa meritò ſuſpiciat ac veneretur Sileſia: bonum utiq; factũ putavi: ſi tam nobiles juſtitiæ & æquitatis doctores, imò myſtas ac ſacerdotes, operâ noſtrâ velut renati, Tuum potens præſidium, mecum juxta, humiliter

militer implorarent: seq; clientelæ Tuæ alis devotè substernerent. Ita nimirùm amplius erit, abs Te defensos, quàm celebratos à nobis fuisse.

Atq; hinc certè maximum dedicationi isti protelum: sed cui validissimum item accessit incentivum: quòd gratiosissima Tua erga me voluntas, quà coràm alloquiis benignissimis, quâ per litteras clementissimas harundemq; interpretem fidissimum, non σημείοις dico, sed τεκμηρίοις indubitatis plus una vice explicata, jamdudum me sollicitavit: ut partem scriptorum meorum, subindè claustra rumpentium, auspicatissimi Nominis Tui præscriptione exornare, ac Tabellam aliquam mei erga Te devoti obsequii & obsequiosæ devotionis in Memoriæ sacrario suspendere in animum inducerem. Neq; deerat sanè in litterario meo, quamvis paupertino censu, quod excelso dignitatis principalis fastigio, non indignum planè videretur. Sed quia id tamen ad publicam editionem hoc quidem tempore nondum maturuit, neq; quicquam reperire aliud fuit, quod non crudum nimis adhuc esset, hanc potiùs occasionem (posteaquam præsertim factum, ut nobilissimo eorum ordini, qui Tibi à consiliis sunt, benignè abs Te adscriptus, novà quasi flamma succensum me sentirem) arripiendam censui: ut quamprimum & aliquod grati animi pignus Tibi exhiberem, & qualicunq; monu-

monumento interiorem illam obſervantiam,& Tibi & Domui Tuæ Sereniſſimæ debitam paratamq́; teſtarer : quàm ut illius expectarem magna cum moleſtia mea maturitatem. Impatienti deſiderio nihil ſatis feſtinatur : ac mihi cumprimis grave in diem debere, quòd cupiam citisſimè repræſentatum. Nec dubitabam Tibi quoque DOMINE, gratius futurum, quod mora quamminimùm tardaſſet : atq; adeo paſſurum Te; vel thure ac molâ ſalsâ Tibi à me litari, qui ad aras Tui ſplendoris hecatombas ſacrificare nequeo.

Eò quidem majore fiduciâ : quòd cum Tibi, exemplo aliis Tui ordinis inſolito, non admodum quidem certè frequenti, aſſiduum ſit in divinarum humanarumq́; rerum notitiâ & meditatione ſtudium, velutq́; animi pabulum, mea quoq́; etſi levicula, ad oculum admittere, deque iis candidè benigneq́; judicare dignatum fuiſſe, haut vanis indiciis cognoverim. Quod quidem ut glorioſum mihi exiſtimo, ita ſecurus ſum animi, dicã etiam certus, Te ſereno vultu, qui Tuus in litteras cedro vivacior amor eſt, hoc etiam quicquid ſit libelli eò uſq;, dum Majoris Minervæ munus adferre liceat, ſuſcepturum : oculisq; leviter delibatum, in auguſtæ Bibliothecæ tuæ parte, qua mereri videbitur, recendi permiſſurum.Idq; ut facias & me ſolitâ porrò gratiâ com-

plectaris, supplici demissione animi rogo. Numen majestatemq; JEHOVÆ, quà condecet pietate ac Sanctimoniâ deveneratus: ut Te justitiæ ac litterarum columen in annos plurimos servet, sospitet, beet: Idemq; patriæ tot calamitatibus & miseriis hactenus exercitæ, sub optimo Cæsare, optimum statum, id est, desideratam diu tranquillitatem & PACEM, tàm internam, quàm externam, redonet: jus autem & justitiam eum in modum à nobis exerceri ac promoveri faciat: quò tandem immortalem Justitiæ coronam apisci liceat. Ita fiat! ita fiat! quod sollenniter voveo, qui hoc dabam in maximâ Silesiæ è Museo meo Calendis Majis anno à salute generi humano datâ cIↃ IↃc XLI.

Serenis.
Nominis Tui

devotis.& obsequentis.
cliens

Nicolaus Henelius D

Viro Magnif. Nobil. & Clarifs.
Dn.
NICOLAO HENELIO V. I. D.
Consiliario Cæsareo &c.
Commentarium suum de JCtis veteribus edituro

SI Mi Frater. Benè Te meritum esse de Republ. litteraria, nemo hominũ, qui litteras norunt, ignorat. Id loquitur abundè Commentarius de veterum ICtor. in Iurisprudentiam meritis, abs Te devotè enucleatus. Utinam Iustinianus nunquam admisisset illorum scripta oblivioni tradi! Tu facilè reliquorum omnium, qui hoc in genere eruditionis magni extiterunt, luminibus obstruxisti. Quæso bono publico non invideas communicationem tàm perfecti ac fructuosi laboris. Legi cum summa animi voluptate, ut Tua omnia, sic & hoc peculiare nomini Tuo augendo exaratum scriptum. Applaudo & gratulor labori, quem fama perire vetat. Vale Breslæ 21. Februar. An. 1636.

Georgius Schönbornerus â Schönborn S. Cæs. Maj. Consiliarius, Commissiarius, Comes Palatinus, Fisci per Silesiam inferiorem Patronus.

❧*❧

JUre-peritorum vitam, NICLAE, recenses,
Quorum in Pandectis mentio facta fuit:
HENELI, dudum quem virtus vivere fecit
Ingenio, docta & Musa mori vetuit.
Sed quid ego acclamē charo tibi amicus amico.
Proveniant fætus ingenii similes!

Reinhardus Rosa in Roſcnigk
U. J. D.
Comes Palatinus Cæsareus, S. Imperat. Maiestat. & Illustriss. Lignicens. Ducis Consiliarius.
Ducat. VratisL. Cancellarius & Reipucl. Syndicus,

JURIS-CONSULTOS, *veteres dum sub tui acumen*
HENELI, *calami, Magne, venire jubes;*
JURIS-CONSULTOS *quòd consultissimus inter,*
Omnibus illustri conditione probas.
Vive diu! studiisq́; Viri, Patria Alma, favero!
Hujus ab ingenio nobile fœnus habes.

GOTF. Baudiß à Guldenhuben in Rudolffsbach U. J.D. Com-Palat. Cæs. Sereniss. Princ. Lignic. Consil. ac Cancellarius.

JUreperitorum qui vitis addere vitas
Discupis, in vitam temet, Amice, paras.

De-

Defunctis etenim tot vitâ reddere vitas,
Est ipsi vitam restituisse sibi.
Sic alii per Te, per eosdem Tu qvoq; vivis,
O opus ad vitam, mortis inane, tuúm!

Casp. Cunradus, Phil. & Med. D. P. L. Caes.

ET haec qvidem sunt, quae ad Commentarii hujus Autorem jampridem scripserat honoratissima Amicorum ejus qvadriga: cujus jam nunc inter coelites aeternâ beatitudine perfruentis memoria in terris benedicta, nobis certè sacrosancta est: donec & ipsi, eo tempore, ac loco, qvo supremum Numen jusserit, volentes parentésq; seqvamur. Superstitum carmina poterant dari plura: sed è quibus unum atq; alterum duntaxat heic adscribere visum fuit.

HActenus egregias animas & nomina clara,
Qveîs micat ante alias Slesia terra plagas;
Cura tibi memorare fuit: (fac, claustra revellat
Doctum opus, & Phoebi lumina ferre jube.)
Nunc promis priscos, insignia corcla, Qvirites:
Qvi sacram Juris constituêre viam.
Civis & externus, vetus & novus, omnis honores
Qvos habet, ingenio debet, Henele, tuo.
Sospes age, & porrò defunctis multa merere:
Posteritas functum te qvoq; grata colet.

Bernhardus Gvilielmus Nuslerus.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMOQUE VIRO

NICOLAO HENELIO

de Infelicibus bonorum Librorum Epitomatoribus.

EXacte famæ doctioris arbiter,
Probeq; Musis demerentium Pater,
Idemq; HENELI, dux Apollinei chori;
Quam moris ista pessimi sunt Secula,
Ingrata quæ scribentium ærumnabili
Partum labore Nomen *atq; adoream,*
Furvis vel obscurare nubibus, suis
Vel turpiter truncare partibus, (malum!)
Vel spernere à se pessimè totum solent;
Ferocientis Africæ in modum feræ,
Nutrita quæ diu, negligit matris tamen,
Lactisq; Nomen, esse quo cœpit prius,
Se perfidam campestribus credens viis.
Nec turpis ista seculorum natio
Hodiè videtur nata, (ubi multis tamen
Nefas sui meminisse Præceptoris est,
Fontisve primas unde quisq; aquas tulit,
Sed hic & ille, viribus fidens suis,
Labore magno maximas nugas struit,
Domesticoq; publicat præconio
Testes ineptos imperitiæ suæ:)
Ipsis coævam sed Scientiis puto,
Cum commodis, ingratam & hanc simul suis

Pepe-

Pepererе quæ cultoribus propaginem:
Maleferiatus sæpè dum paratus est,
Audaculus, studio juvandi publicum,
Qui fertiles beatioris ingeni
Insulsa partus urget in Compendia,
Quo sæpè pulcro (fur scelestus) nomine
Audace facto castrat authorem suo,
Quod Phœbus immortale ei concesserat;
Locoq; pultis, mucidam Lectoribus
Ponit salivam, nuceq; pro cicum bonâ.
Præposteram hanc sensêre diligentiam
Marcusq; Flaccus Verrius, (a) Sexti male-
Iniqua Festi qvem-eviravit dextera,
Sextusq; Festus ipse Paulus (b) *cui suam*
Emasculando talionem reddidit.
Hæc ipsa Trogi (c) *pestis invasit libros;*
Nec non Strabonis (d) *eruditas paginas;*
Dionis (e) *hanc sensêre tineam libri;*
Soliq; blattæ Egesippus (f) *huic debet necem;*
Hæc Livium (g) *multavit integro tomo!*
Depascit IPS Idemq; Bilbilicos (h) *jocos;*
Et plura doctæ antiqvitatis pignora
Olimq; nuncq; Trips *iniqvus deperit,*
Nec nomen ut superstes authorum cluat,
Si vermis iste docta per Scribentium
Sævire debet amplius cubilia.
O cæcus error! visq; ineluctabilis!
O litterarum, seculiq; incommodum!
Hoc est juvando lædere! hoc volucribus

a vid Scal. in præfat. ad Festum.
b Paulus Diac. abbreviator Festi.
c Cujus epitomen Justinus cōscripsit.
d vid Barthius l. 1. ad Rutiliū v. 429. pag. 146.
e Dionem Nicæum volo, quē Xiphilinus in Compendium redigit.
f de Pseudegesippo consulendus Scaliger ad Euseb. Barth. l. 35. c. 10. Advers.
g Fiorum intelliguntur, qvāvis ille potius per se res Romanas scripsisse videatur, cum multa habeat quæ in Livio nō reperiuntur.
h Martialis è qvem Raderus castravit.

Est denegare visam ad aucupes viam!
Hoc nolleq; est pot ire gemmeas, nisi
Spurcis prius motas ab ungulis aquas!
Sed ut dolenda, sic ferenda litteris
Illata clades hæc foret qvodammodò,
Grangræna ni sævisset isthæc amplius,
Themidos & arrosisset ossa innoxia,
Mystæq; juris sustulisset principes,
Nisu qvi ineluctabili nascentibus
Posuere prima legibus cunabula.
O Qvinte Muci, Cerbidiq;, Scævola
Ambo, sed ambo, clara Juris lumina
O Ulpiane, Celse, Graje, & cæteri
Illustre qvorum nomen haut versus capit,
O Enthea & cognata Divis pectora,
Fatisq; digni mitioribus Viri,
Vestræ erudita mentis alta pignora
Patriisq; plenos legibus qvondam libros,
Et pallidis responsa quæ data sunt reis,
Oculis tueri qvando contigit meis,
Videre magnæ pauca molis rudera,
Spoliavè magnarum minuta opum, puto,
Tabulamq; fractæ navis in freto levem,
Irata rectoris marini qvam manus
Cratere magno dissipavit fluctuum;
Brevemq; tota Civitatis integræ
Ruina qvam locavit & dedit casam.
Iniqva quam justissimis isthæc viris
Consarcinatrix extitit vobis manus!
Qvàm perperam illa mascula robur simul

Virtu-

Virtutis in vos amputavit ultimum,
Effœminata vos ubi in Compendia
Primùm vocavit! forte per simillima
Chirurgicà Magistro in arte non probo,
Qvi qvod mederi non potest, vivum secat;
Audax pusilla sic dedit licentia
Nobis librorum frusta, non Compendia
Et ista ni Tyrannis hoc clementia
Vobis dedisset, nomen intactum sacris
Liqvisset ut laboribus, qvinam viri
Essetis! aut cujus farinæ filii?
Vestrûmq; qvid frustilla librorum forent,
Campana qvàm sonora pistillo carens?
Nux absq; cortice? truncus absq; vertice?
Vestram misertus ergo HENELIUS vicem,
Illustre nomen illud, & , qvo illustrius
Nihil superstes est, genusq; & adoream,
Qvam Principum tulistis à Clementiâ,
Cum scripta non posset, brevi conatus est
Libro rependere. digna Cedro pagina!
Hæ sunt perennioris istæ Spiritus
Tabellulæq;, aræq;, mortales qvibus
Oblivionis è barathro tollimur.
Hæ Vindices famæ, hæ satellites bonæ
Mentisq; Virtutisq; Chartæ, & hæ quoq;
Nostri redhostimenta sunt Chartæ ingenî.
Vivas HENELI mentis arbiter bonæ,
Vivas laboris æstimator integri,
Honoris & nascentis ex eo probi.
Jacta alea est; qvi Jure-Consulentium

Vitamq; Gloriamq; priscorum, typis
Verè explicâsti ferreis, insiste nunc,
Nostrisq; redde atavisq;, avisq;, & patribus,
Qvos Morta denso texit hactenus peplo,
Vitam, Monetæ tu propago clara, qvam
Per omnium debes iisdem calculos.
En ipsa Melpomene Stylum format tibi,
Clioq; Lauream manu nectit novam,
Lætâq; clamat voce gestiens: Io!
Hâc fronde frons virescet illius, suo
Qui dat labore aliis diem, famam sibi!

Elogia Clarorum Virorum in Silesiâ, qvos Author noster summâ diligentiâ in aliqvot tomos concinnavit intelligo.

Andreas Senftleben Judiciorum Wratislaviensium Advocatus ordinarius & juratus.

Sortilegium Anagrammaticum,
qvod
in suo NOMINE *fataliter abstrusum*
inveniet
Magnificus, Nobiliss. & Consultiss.
VIR, DN.

NICOLAUS HENELIUS Juris utriusqve Doctor, Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Illustrissimi Ducis Lignicensis Consiliarius, Ducatus Mœnsterbergensis & Territorii Francosteinensis Pro-Cancellarius, & Reipublicæ Wratislaviensis Syndicus.

Ana-

Anagramma.

INclutus ille VIR est. Cor Palladis, oraqve Svadæ,
Viribus ac celsis Cor gerit ille Themis.
Ecce nitens usu ac Virtutis munere; præstes
Artis is est sane fortis, & ingenii est.
Vivat ô Elysiis Consus divinior arvis,
Inscribens sacris nomina clara cedris!

eruebat & offerebat

HENELIANI NOMINIS ET
FAMÆ
perpetuus cultor
Mich. Bartschius.

NICOLAI HENELI. U. J. D.

De veteribus Jureconsultis, è qvorum legibus Justitiæ Romanæ Templum exædificatum est,

COMMENTARIUS.

Procœmium.

1\. VItas Jureconsultorum veterum viri qvidam doctissimi diligenter & accuratè descripserunt: qvorum scrinia etsi compilare animus non est, neq; adeò Suffenus ego, ut ignorem, multò mihi difficillimum esse post Roscium in orchestrâ placere: haud pessime tamen aliqvot horas à me collocatum iri putavi: si eorum saltem Nomothetarum, è qvorum operibus Pandectarum sive Digestorum opus Justiniani Augusti mandato & auspiciis à Triboniano concinnatum est, & qvorum adeò orationis genere in brevitate summâ nihil aptius, in dignitate rerum nihil elegantius esse censet, auctorum alioqvi censor rigidissimus, Laurentius Valla, *In præfat. lib. 3. elegant.*

— — *solitus qvi parcere nulli est,*

 elo-

elogia qvædam in exemplum atq; usum veræ germanæq; Jurisprudentiæ Candidatorum texsserem: & qva qvisq; ætate viderit, qvas res gesserit, qvibus honoribus inclaruerit, qvos libros composuerit, & si qvæ alia nobis in tumultuariâ lectione jam olim observata, brevi scriptiuncula complecterer.

2. *De Virtute ego cernundi do potestatem omnibus*, Ajacis dictum est apud Paccuvium in armorum judicio: qvidni ergò debitis eandem exornandi encomiis.

Virg. Georg. 3. *Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?* etsi nesciam heic tamen, utrum magis in proclivi, laudare ne, an qveri ac dolere ob jacturam tot pulcherrimorum commentariorum á viris illis sapientissimis, qvi consiliis suis, tanqvàm oraculis, tunc orbem terrarum regebant, magnis laboribus vigiliisq; bono publico elucubratorum: sed è qvibus tamen, si fragmenta excipias Pandectis inserta, etsi variè heic ibi interpolata, confuseq; adeò congesta magis, qvàm digesta, qvasi raras ex ingenti naufragio tabulas, vix qvicqvam præter desiderium ad nostram ætatem promanavit.

3. Sanè non desunt viri cordati, qvi vel hoc ipso non optime Justinianum de Jurisprudentia meritum esse putant: qvod dum legitimos ejus scriptores in compendia redigere, & alienam negligentiam diligentiâ sua exædificare satagit, veterum interpretum libros nobis interverterit uberrimos. Qvam qvidem in sententiam, ut ali-

alios modò omittam, Stephanus Paschasius, Galliæ suæ decus, arguto & venusto lusit Epigrammate, digno certè, qvod non in deliciis modò Poëtarum, sed heic qvoq; legatur.

Multa in centonem dum colligit Induperator,
Pandectasq; libris conflat ab innumeris;
Scire voles qvidnam potuit labor iste mereri?
Posteritas libros perdidit αὐτόγραφους.
O ingratam operam! qvandò studiosius egit,
Deterius tantò condidit autor opus.

Qvin fuere etiam, qvi dicerent, Justinianum post absolutam compositionem omnia veterum Jureconsultorum volumina comportari jussisse,

infelicibus ustulanda lignis:

ut qvæ jam deinceps supervacua esse, nulliq; ampliùs usui existimaret.

4. At enim parciùs ista tanto Imperatori objicienda: cujus compilatio Pandectalis magis certè, qvòd ex veterum libris aliqvid tamen supersit, qvàm ut ii perierint, in causa esse videtur. Neq; verò in ipsum tantum facinus, cujus arguitur, cadere potuisse, vel illud argumento est, qvod claris verbis profitetur, tantam qvidem antiqvitati ab se habitam reverentiam: ut nomina prudentum silentio tradi nullo modo passus sit: sed unumqvemq; eorum, qvi autor alicujus legis fuit, Digestis inscribi curaverit. Id qvod & factum ab eo res ipsa loqvitur: ut proinde beneficium potiùs agnoscere, per qvod clarissima illa Themidos lumina Annæ Perennæ

l. 2. § tanta autem C. de vet. jur. enucl. Const. Dedit nobis Deus. § tanto 10.

A 2 conse-

consecrata vivunt, non nisi eum ipso jure Justinianco exstingvenda, qvàm ob id, qvod præter ejus voluntatem accidisse credendum est, etsi provideri sanè potuit, ne existeret, indigniter in ipsum ac maledicè debacchari conveniat.

5. Penes qvoscunq; autem tandem hujus damni ac dispendii culpa hæreat, licet haud immeritò

— — mentem habere qveis bonam,
& esse corculo datum est.

non sine magno dolore veteres Jureconsultos intueantur, tàm miserè discerptos ac mutilatos, ut qvi eorum effigiem nunc videat, videre sibi videatur Deiphobum illum Virgilianùm,

— — Lacerum crudeliter ora,
Ora, manûsq; ambas, populataq; tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares:

tamen cùm tristes qverimoniæ nihil omninò proficiant, optimum factu videtur, ut fruamur paratis: & à sinistrâ illâ & perversâ qvorundam sedulitate, qvi cùm in medio positis non utantur, aut ea defunctoriè dicisq; caussâ tantùm tractent, anxiâ tamen sollicitudine qværunt, qvæ desiderantur, alieni, cùm svavissimos illos ac limpidissimos fontes vel hominum vitium, vel seculi fatum nobis inviderit, rivulos tamen hosce, qvos habemus, ac qvibus uti solis licet, eò majore curâ ac studio consectemur: qvòd præter legum majestatem, qvæ à Principe splendorem suum mutuantur, & privatâ omni laude superiores sunt, Lingvæ qvoq; Latinæ elegantiam

ac puritatem in divinis Pandectarum libris limitatam qvasi & conclusam videmus.

6. Cujus qvidem rei, sicut præter Vallam, testē habemus omni exceptione majorem, Danielem Heinsium, florem illum Belgii sui immò universæ adeò Europæ ornamentum: ita non de nihilo esse putandum est, qvod aliqvandò Fridericus Taubmannus Poëtarum & festivissimus & cultissimus, ex dicterio Nobilissimi Abrahami à Bock Consiliarii Electoral. Saxonici cecinit.

Credo ego, si Lingvæ Ciceronis imago perisset
E juris posset corpore restitui.

Idemq; rursus in eandem sententiā verbis aliis:

Ista viri docti vox est, & credita multis
Nec mihi pro sensûs indole cæca fide est.
Si Ciceronéæ periisset gratia Lingvæ,
Posse è Digesto Codice restitui.

7. Hæc ille, satis eleganter & proximè ad verum: nihilq; adeò relictum nobis, qvàm ut clarissimi Jureconsulti Francisci Balduini Atrebatii monito, qvod in juris civilis Scholâ Argentinensi legitur, auscultemus, tanqvàm si oraculo imperatum esset. *Non invitus*, inqvit, *fateor, ultrò etiàm profiteor, esse illud valdè profectò concisum, qvod ex veterum Legum Romanarum tabulis atq; Commentariis Justinianus collegit, & libris suis inclusum posteritati reliqvit. Sed qvalescunq; reliqviæ sint, eæ tamen sunt. qvæ reconditos thesauros continent maximarum rerum: vixq; ulla usqvam alia supersunt antiqvitatis monumenta, qvæ plus habeant aut veteris memoriæ aut civilis*

prudentiæ atq; æqvitatis: ut qvò magis dolemus uberiores ipsos fontes esse intercisos, tantò magis debeamus hosce rivulos, qvi ad nos pervenerunt, continere: & tanqvàm superstites ex tristissimo naufragio tabulas studiosè colligere, sive Lingvæ Latinæ, sive historiæ & antiqvitatis, sive Philosophiæ, sive juris humani nos ulla cura tangit.

CAP. I.

I. INter Juris ergò Conditores, qvorum verba pro Legibus in Pandectas nostros (sic enim masculino non seqviore genere appellandos indice nominum propriorum Ilerdæ edito pridem docuit Antonius Augustinus summus ut antiqvitatis, sic & juris utriusq; antistes) Tribonianus retulit, primus sese offert vetustissimus qvippe omnium Q. MUTIUS SCÆVOLA: ille Romæ illustri Familià natus, ac multorum præclarorum virorum genitricæ, è qvibus Scævolarum cognomen primus ei peperit. C. MUTIUS ille, qvi insigni testimonio humanæ constantiæ dato dextram errantem in cæde Porsenæ Regis destinatà immotam igni conclusit; ac Regem infestum Patriæ incredibilis virtutis ostensione, oraculo præsertim hoc prolato, *& facere & pati fortia, Romanum esse*, cum in modum consternavit: ut non solum ab obsidione urbis discederet, sed pacem qvoq; cum Romanis sanciret. Laudatum id Mutii facinus, qvia nulla tenebatur fide, ab

Liv. dec. 1. l. 2. Tertul. lib. ad martyr. c. 1. & in Apolog. adv. gent. Heins. orat. de primâ P. R. ætate. Hug. Grot. de jure belli ad pacis lib. 3. c. 4. vid. tamen Albert. Gentil de jur bell. lib. 2. c. 8.

ab historicis, qvod & ipse sic defendit: *hostis hostem occidere volui.* Porsena ipse nihil in eo, nisi virtutem agnoscit. Valerius Maximus pium ac forte propositum vocat. Ciceroni qvoq; pro Sextio laudatum. Meminit & passim Seneca, ac præsertim epistolâ XXIV. verbis, qvæ heic referre non abs re esse existimo. *Mucius* inqvit, *ignibus manum imposuit. Acerbum est uri: qvantò acerbius, si te id faciente patiaris? Vides hominem non eruditum, nec ullis præceptis contra mortem aut dolorem subornatum, militari tantùm robore instructum, pœnas à se irriti conatus exigentem. Stetit hostium flammarumq; contemtor, & manum suam in hostili foculo distillantem perspectavit, nec antè removit mediis ossibus fluentem manum, qvàm Porsenna, cujus pœnæ favebat, gloriæ invidit & ignem invito eripi jussit. Facere aliqvid in illis castris felicius potuit, nihil fortius.*

Valer. Max. lib. 3. c. 3.

2. Oriundi fuere ex eâ familiâ complures amplissimis honoribus, ipsoq; adeò summo Magistratu in Republ. Romanâ laudabiliter functi: ac tres præsertim. Cost. in lineâ descendente: qvorum primus nempè P. MUTIUS SCÆVOLA, Q. MUTII SCÆVOLÆ Filius: ejus nimirum indubiè, qvi Pomponio scribente, cùm Carthaginenses, ad qvos missus erat, duas ei tesseras Punico ingenio offerrent, in qvarum unâ pacis, in alterâ belli symbolum legebatur, optionemq; darent, ut utram vellet, statueret, ambabus ipse arreptis subintulit: *Eadem vobis electio patet, utram mavultis habere:* & hoc qvidem

Iac. Gordon chronol. tom 1. period. 8. ad ann. mundi 3832

l. 2. §. 37. de Orig. jur.

pacto Reipubl. Romanæ dignitatem, qvam superbo astu Carthaginenses imminuere satagebant, solerter ingenioseq; intactam conservavit, confirmavit, auxit. Ità sanè Pomponius noster: sed à qvo tamen Varro, Livius, Agellius ac Silius Italicus, & in ipsâ re narranda dissentiunt, & factum illud animosum non Q. Mutio, sed Q. Fabio tribuunt. Undè & Zasius & Balduinus hunc qvoq; Pomponii locũ corruptum, neq; adeò *Q. Mutius*, sed *Q. Fabius* legendum, censent. Qvicqvid sit, eo tamen Patre natus noster prætor qvidem urbanus nobili eo anno fuit, qvi raro & novo exemplo duos vidit Romæ fratres, non Coss. modò *L. Manlium Acidinum Fulvianum.* & *Q. Fulvium Flaccum*, sed Prætores qvoq; *Publium & Qvintum Mutios Scævolas*; ab urbe putà conditâ cIↃ LXXIV. qvadriennio autem pòst in Consulatu *L. Æmilii Lepidi* Collega, qvem rebus in Galliâ præclarè ac fortiter gestis triumphâsse de Liguribus indicare videntur Capitolini lapides: ob easq; res Senatum in triduum supplicationes decrevisse Liviana fragmenta significant. Alter Patri ὁμώνυμος P. MUTIUS SCÆVOLA Filius, qvi, qvamvis & pater peritissimus esset juris civilis, κατ' ἐξοχὴν tamen dictus est *Jurisperitus*. Pontifex idem Maximus, qvi erat velut præses augurum sive Sacerdotum, qvorum disciplina & Hetruriâ Romam propagata erat, Consul autem unà cum L. Calpurnio Pisone Frugi, anno U. C. cIↃcXX. qvo eodem haud modò bellum Numantinum, per multos tra-

Liv. lib. 21. Agell. lib. 10. c. 27. Sil. lib. 1.

tractum annos excidio Numantiæ (qvam P. Cornelius Scipio Africanus anno decimo qvarto pòst, qvàm de Carthagine triumphum egerat, delevit) terminatum: sed & Tib. Sempr. Gracchus Tribunus plebis, qvi ad popularem auram captandam legem de agrorum divisione, renitente qvamvis fortissimo atq; Sapientissimo Consule, qvòd injustū esse censeret, *cum præscribere possessionibus atq; patrimoniis modū, qvi commerciorum rationem interturbaret, & industriæ præmia tolleret, & legitimos acqvirendi modos impediret*, tulerat, & Cn. Octavio Collegæ Magistratum abrogaverat, ab Optimatibus, autore P. Cornelio Scipione Nasica in Capitolio occisus, unaq; cum aliis in eâdem seditione trucidatis insepultus in flumen projectus est: qvod qvidem initium fuit in Urbe Româ fusi civilis sangvinis, exindeq; jus vi obrutum, potentiorq; habitus prior. Tertius deniq; Q. Mutius Scævola, nepos, Orator ac Jurisperitus insignis; atq; adeò is ipse, de qvo impræsentiarum agimus. Sed tanti est, ut stemma ipsum sive seriem familiæ Mutianæ huc adscribamus.

P. MUTIUS SCÆVOLA

I.

Q. MUTIUS SCÆVOLA, Prætor An. U.C. 538. T. Sempronio Graccho & Q. Fabio Maximo, III. Coss. belli Punici secundi anno quarto Præses Sardiniæ. Obiit anno U.C. 544.

Q. MUTIUS SCÆVOLA Cos. cum Sp. Postumio Albino anno 579.

P. MUTIUS SCÆVOLA Cos. cum M. Æmilio Lepido II. anno U.C. 578.

Q. MUTIUS SCÆVOLA honorum majorum expers.

P. MUTIUS SCÆVOLA Trib. pl. Cn. Servilio & Q. Pompejo Coss. anno U.C. 612. Prætor Q. Furio & Sexto Attilio Coss. anno 617. Consul ipse cum L. Calp. Pisone Frugi anno 620. Pontifex deniq; maximus post fratrem mortuum phthiriasi, ut autor est Plutarchus in Sulla.

P. LICINIUS CRASSUS MUTIANUS sic nimirum dictus, quod ex Mutiorum familia in Crassorum transiisset, recepto à Romanis more, ut qui adoptarentur eorum, à quibus adoptabantur, nomina acciperent, suum tamen gentilitium retinerent, sed aliquâ syllabâ productum. Consul unà cum L. Valerio Flacco anno U.C. 622. cum jam aliquot ante annis creatus fuisset Pontifex Maximus bello contra Aristonicum periit: plerumq; ut habet Agellius laudatus quod quinq; haberet rerum bonarum maxima & præcipua: quod nim. ditissimus esset, nobilissimus eloquentissimus, Jurisconsultissimus ac deniq; Pontifex Maximus Uxor Venuleja.

Q. MU-

a

b

c

Q. MUTIUS SCÆVOLA AUGUR Con. cum L. Cæcilio Metello anno U.C. 636. Ap. Ciceronem l. de Orat. colloquitur cum L. Crasso ab M. Antonio de studio Eloquentiæ. L. Syllæ liberè contradixit in curia pro C. Mario. Uxor in Lælia C. Lelii Sapientis filia à L. Crasso genero laudata apud Cic. l. 2. de Orat.

Q. MUTIUS SCÆVOLA Pon. Trib. pl. anno U.C. 647. C. Servilio & Attilio Coss. Consul ipse cum L. Licinio Crasso anno 658.

MUTIA nupta M. Acilio Glabrioni.

LICINIA nupta C. Sulpitio Galbæ Oratoris F.

P. LICINIUS CRASSUS antè Patrem obiit.

LICINIA nupta Graccho tribuno plebis ob leges agrarias occiso.

P. MUTIUS SCÆVOLA Augur Juris peritissimus.

MUTIA major natu.

MUTIA minor natu nupta Licinio Crasso Oratori ejus avi eloquentiss.

P. MUTIUS SCÆVOLA Pont. cum Q. Metello Pio Pont. Max.

MUTIA nupta Cn. Pompejo M. ob impudicitiam ab eo dimissa, dein matrimoniis juncta M. Æmilio Scauro L. Syllæ privigno.

P. MUTIUS in cui honorem heres institutus ab Attilo Casellio, si Pompejo fides.

3. Gentem igitur Romæ tàm illustrem nactus noster, exemploq; maximè permotus paterno, ut totum sese daret Juri civili, sicut doctrinæ suffragio per omnes honorum gradûs evectus ad ipsum tandem culmen adscendit: Tribunus qvippè plebis, Prætor, Consul, Pro-Consul Asiæ, ac Pontifex Maximus: ita gloriâ suâ dignus fuit, & familiæ suffecit Vir qvidem non magis ingenii, ac prudentiæ acumine, scientiaq; juris, qvæ in eo summa, qvàm vitæ integritate, animi & constantia & moderatione, amore ac fide in Patriam, deniq; justitiæ & abstinentiæ laude usq; adeò clarus, ut Athenæus sub finem libri sexti δειπνοσοφιςῶν honorificam illius mentionem faciens, jam olim *ἐκ τοσούτων μυριάδων ἀνθρώπων, ex tot civium Romanorum millibus*, tres solùm repertos scribat, qvi Legem Fanniam sumtuariam servarint, *Mutium Scævolam*, *Q. Ælium Tuberonem, & Rutilium Rufum*: addens ibidem, ne minimum qvidem unqvàm eos accepisse, immò verò maxima tùm aliis, tùm amicis fuisse largitos, qvi hâc disciplinâ instituti ad res præclaras contendère. Stoicorum namq; placita illos amplexos fuisse, Licinio Crasso suo in Consulatu Collegæ, cùm ille post confectos qvosdam, qvi in interiore Galliâ nullo illustri neq; certo Duce, neq; eo nomine aut munere prædictis, ut digni essent, qvi hostes populi Romani dicerentur, excursionibus nomen & latrociniis infestam reddiderunt provinciam, triumphum ob id à Senatu peteret, acerrimè restitit: minimè qvidem collegæ sui qvem mirificè amabat, gloriæ

invidens, sed legem & morem majorum privatæ gratiæ anteponens. Asiam Provinciam cum pro Consule (pro ut nempè solitos Consulatu perfunctos proximo anno mitti, in provincias, easq; Imperio Pro-Consulari gubernare ex Cicerone & Livio notissimum est) sortitus esset, administrationem autem illam publicanorum causâ difficillimam faceret: adeò qvidem, ut scripserit Cicero, divinæ cujusdam virtutis fuisse, si qvis in eâ provinciâ ita versaretur, ut & publicanis satisfaceret, & socios perire non sineret: utrumq; Mucius præstitit: ac rem in Asiâ tàm præclarè gessit: ut qvùm indè post novem menses Romam, qvæ illo carere diutiùs non poterat, rediisset, non solùm totâ Asiâ perpetuam veluti ἀποθέωσιν, qvasi DEUS qvidā potiùs qvàm homo in eâ fuisset provinciâ, consecutus fuerit: die qvippe festo ad ejus memoriam & gloriam conservandam publicè instituto, qvem MUTIA appellārunt: tanti qvidem apud omnes gentes habita, ut ipse etiam Mithridates, togæ Romanæ hostis ferus atq; immanis, Mutia tamen illa non revereri non potuerit, certè violare, cùm nullis alioqvi sanis parceret, ausus non fuerit, sive Religione, sive qvâdam hujusce Jurisprudentiæ reverentiâ repressus: sed & Romæ multis post mortem suam annis habuerit illustrissimum suæ in Asiâ virtutis testimonium. Ità namq; Valerius Maximus: *Tàm sanctè Asiam & tàm fortiter obtinuit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris Magistratibus Scævolam tanqvàm exemplum & formam officii pro-*

Val. Max. lib. 8. c. 16. Thom. Lind. in hist. jur. Rom. n. 19. Frider. de Marselaer in leg. lib. 1. cap. 38.

proponeret. An verò ſicco pede illud præteream, qvod idem Valerius prodidit? Cùm in reum nempe teſtis productus, id reſpondiſſet, qvod ſalutem periclitantis magnoperè læſurum videatur, hoc diſcedentem adjeciſſe: *ità demum credi ſibi opertere, ſi & alii idem adſervâſſent, qvoniam unius teſtimonio aliqvem credere peſſimi ſit exempli.* Adeò nimirùm ſingulari ſua autoritate noluit reum premi.

Val. Max. lib. 4. c. 1.

4. Ex his ergò aliisq; Virtutibus præclariſſimis dici non poteſt, qvantam dignitatem, qvàm honorificam exiſtimationem ſibi acqviſiverit MUTIUS: Pomponio ſanè JCto in Enchiridio illo, undè deſcripta qvædam hiſtoriæ Romanæ non inelegans epitome Pandectis haud temerè velut præfixa eſt, hoc inter alia nomine commendatus: qvòd cùm pater P. Mutius decem libellis fundamenta univerſi juris jeciſſet, ipſe alter pulcherrimi operis paterni velut architectus, jus civile Romanum in libros decẽ & octo redegerit. Sed cujus tamen operâ Tribonianus valdè raro uſus legitur, qvatuor duntaxat ex libro ejus ſingulari ὅρων, hoc eſt, *Definitionum ſive Regularum* (nam qvod Alciatus ex libris antiqvis legendum putat [ῶν ὡρῶν & interpretatum fuiſſe librum *Horarum* vel *Annalium*, ineptum planè eſt, nec refutatione dignum) Reſponſis in Pandectas relatis, ſub tit. *de acqvir. rer. dom.* uno, *de aqvâ cottid. & æſtiv.* altero, *de verb. ſignific.* tertiò *de reg. juris* qvarto. Qvæ prætereà Scævolæ heîc ibi adſcribuntur, *Cervidii Scæ-*

l. 2. §. 41. de orig. Jur.

Scævolæ ſunt, qvi longè alterius ſeculi eſt, non hujus noſtri: utcumq; aliàs deciſiones ac ſententias ejus relatas freqventer invenias: ſuperiori etiam ſeculo à Franciſco Balduino in eximio illo de Jurisprudentia Muciana commentario diligenter collectas, diſpoſitas, ac doctisſimis inſuper interpretationibus lioulenter ſanè illuſtratas.

5. Oratione uſus fuit maximè ornatâ atq; ſubtili, verbisq; ad rem ſummâ cum brevitate explicandam mirabiliter accommodatis. Idq; cùm ſæpè aliàs, tùm apud Centumviros in M. Curii cauſſa cognitum fuit: à duobus patronis æqvalibus, iisdemq; Conſularibus facundiæ tum & fori ornamentis, cùm uterq; ex contrariâ parte jus civile defenderet, ſic dictâ: ut qvemadmodum Craſſus eloqventium Jurisperitisſimus, ità Mucius Jurisperitorum eloqventisſimus putaretur: eo qvidem gemino elogio ab ipſo Craſſo apud Ciceronem, præſente illius ſocero Q. Mucio Augure haud immeritò honeſtatus: in reſpondendo autem de jure tantæ apud ſuos autoritatis, ut ejus domus verum civitatis Romanæ oraculum fuerit habitum.

Cic. in Bruto & lib. 1. de Orat.

6. Neq; verò aliud tunc Romæ ipſi etiam ſenectuti celebrandæ & ornandæ honeſtius perfugium, qvàm legum ac juris interpretatio.

Romæ dulce diu fuit, & ſolmene, recluſà
Mane domo vigilare, clienti promere jura.

ait Horatius Flaccus; nec præter rem adeò ac veritatem ſcripſiſſe cenſendus hiſtoricus eximius & ingenii elegantis Ammianus Marcellinus,

libro vigesimo, ob luculenta illa & huc unicè facientia leguntur. *Nec minus apud Romanos Rutilii, & Galliæ, & Scauri, vitâ, moribus, frugalitateq; spectati, & posteà per varias ævi seqventis ætates Censorii & consulares muti, & triumphales, Crassi & Antonii, & cum Philippis Scævolæ aliiq; numerosi, post exercitus prosperrimè ductos, post victorias & tropéa, civilibus stipendiorum officiis floruerunt, laureasq; fori speciosis certaminibus occupantes summis gloriæ honoribus fruebantur.* Qvæ qvidem Marcellini assertio eò majori fide digna, qvòd eandem rem apud Ciceronem is ipse Crassus Orator disertè confirmet, cùm sic inter alia inquit: *Eqvidem mihi hoc subsidium jam indè ab adolescentia comparavi, non solùm ad caussarum usum forensem, sed etiam ad decus atq; ornamentum senectutis: ut cum me vires (qvod ferè jam tempus adventat) deficere cœpissent, ab solitudine domum meam vindicarem. Qvid est enim præclarius, qvàm honoribus & Reipub. muneribus perfunctum senem posse suo jure dicere idem, qvod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, se esse eum, undè sibi non populi & Reges, at omnes sui cives consilium expectant?*

Suarum rerum incerti: qvos ego meâ ope ex
Incertis certos comprobesq; consili
Dimitto, ut nè temerè res tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus Jurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est hujusce Q. Mutii janua & vestibulum: qvòd in ejus infirmissimâ valetu-

tudine, affectâq́; jam ætate, maximâ qvotidiè freqventiâ civium ac summorum hominum splendore celebratur.

7. Hæc, inqvam Crassus, non qvidem de hoc nostrate, sed de Scævolâ Augure loqvens, C. Lælii genero: cujus utiq; Senatoriam παῤῥησίαν atq; incorruptam libertatem multa sunt, qvæ testatam faciunt; cumprimisq́; præclara illa vox, & digna adeò, quam in Senatu & consiliis Principum consistentes ad æmulationem audiant, cum adduci non posset, ut C. Marium Cos. qui Africam vicerat, qui Regem Jugurtham formidatum Romanis in triumphum duxerat, qui

— *Cimbros & summa pericula rerum*

cùm excepisset, magnâ strage victores castigaverat, & trepidam non Italiam modò, sed Urbem defenderat, remq́; Romanam inclinatam erexerat, hostem judicaret, ratus nimirum pro senili suâ prudentiâ, conciliatione potiùs qvàm classico Remp. opus habere, Sullæ truculentiùs minitanti masculo dicentis: *Licet mihi agmina militum, qvibus curiam circumsedisti, ostentes; tamen nunqvàm efficies, ut propter exiguum senilem sangvinem meum Marium, à qvo Urbs & Italia conservata est, hostem judicem.* Meminit ejus Svada Romana & alibi passim ac præsertim principio Lælii, à Patre suo se se ad eum deductum scribens, sumtâ virili togâ, ut quoad posset & liceret, à senis latere nunquam discederet. Itaq́; multa ab eo prudenter disputata,

Val. Max. lib. 3 c. 8. Joh. à Chokier in thesaur. aphor. polit. lib. 3. c. 14. Christ. Besold. axiom. de consil. Polit. c. 12. n. 25.

multa breviter & commodè dicta memoriæ se mandare solitum, factumque ejus prudentiâ doctiorem: quo mortuo se ad Pontificem Scævolâ contulerit, *unum Civitatis Romanæ* (ità ibidē Cicero) *& ingenio & justitiâ præstantissimum.*

8. Ut maximè enim is minime sese, quasi ex professo ad docendum daret: tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. Sic enim idem ille Tullius de juris Doctoribus loquens: *Sat erat*, inquit, *audire respondentes: ut, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus seponerent: sed eodem tempore & discentibus satisfacerent, & consulentibus.* Neq; verò mirum non videri potest, tantum vel ocii Mucio, vel animi fuisse Ciceroni: ut tunc jus civile privatim tractarent, cùm Resp. tota arderet funestissimo bello, quod inter Marium & Sullam plusqvàm civile fuit: cumq; Republ. juris qvoq; civilis autoritatem pessundabat.

l. 2. §. 42. d. orig. jur.

Quint. instit. orat. lib. 2. c. 9.

9. Auditores quidem Mucii complures fuisse Pomponius memorat: ut quod de suo Isocrate dixit: Quintilianus, *Qvem non magis libri benè dixisse, qvàm discipuli benè docuisse testantur*, idem de Mucio dici possit meritissimò. Præcipui inter eos nominis fuere L. Lucilius Balbus, summus Stoicus, Sextus Papirius, Cajus Juventius. Julii & Octavii temporibus celebre nomen consequuti: tùm qui primo loco nominari debuit. C. Aquilius Gallus, Eques Romanus, ex nobili Aquiliorum familiâ, collega & familiaris Ciceronis, in Jurisprudentiâ tàm excellens, ut natu-

naturâ, non disciplinâ consultus & in litibus dijudicandis velut Princeps ceteris antistare diceretur, ac summorum ob id honorum potitus fuerit: tàm dives prætereà, ut ædes, quas inhabitabat, ducentis circiter millibus Venetorum ducatorum æstimarentur. Is videlicet, cui non modò formula de dolo malo, everriculum, ut vocat Cicero, omnium malitiarum, itemq; illa instituendi posthumos nepotes in nobilissimâ lege *Gallus, de liber. & posth.* (quæ sicut magnis difficultatibus est obstructa, ita nō mediocrem æmulationem ab omni ævo aluit) præscripta debetur: sed & aliud quoddam civile remedium, qvo plures etiam mutuæ obligationes, ex scripturis & instrumentis diversis constantes, uno comprehendi obligationis instrumento possunt, & sic comprehensæ unâ formulâ unoq; stipulationis contextu dissolvi, prout eleganter Florentinus JCtus demonstrat.

Cicer. or. pro Cæcina.

Val. Forster. hist. jur. civil. Rom. lib. 2. cap. 4. in fin.

l. 18. §. 1. de acceptil.

10. Fuit inter Auditores Mucii Aulus ille Cascellius, de qvo notum illud Lyricorū Phœnicis:

— — Consultor juris, & actor
Caussarum mediocris, abest virtute diserti
Messallæ: nec scit, qvantum Cascellius Aulus:
Sed tamen in pretio est — —

Horat. de art. Poet.

Id verò cur sic statuam, autor mihi is ipse Pomponius: apud qvem licet vulgò legatur, *Aulus Cascellius, Qvintus Mucius Volusii auditor*: tamen cum ibi non agat JCtus de aliis, qvàm Trebatio & Cascellio, atq; adeò depravatum esse locum nemo non agnoscat, cum Ant. Augusti-

no & Cujacio, *Qvinti Mucii*, ἀντὶ τῶ, *Volusii* autem vel *Scævolæ*, vel cum Balduino, *&* *Volcatii*, eò magis legendum censeo: qvod & Plinius à Volcatio Cascellium jus civile didicisse scribat.

Plin. lib. 8. c. 40.

11. De Servio Sulpitio qvid dicam? Is certè seriùs, ut videtur, ad juris Romani studium, nisi Mucii increpatione graviter incitatus accessit: illà qvippe nobili sententiá, super causâ amici Mucium consulenti, nec satis ipsum, etsi semel atq; iterùm ad propositum respondisset, haud dubiè propter concisam & verè oraculo dignam respondendi rationem, percipienti, sciscitantiq; proindè ulteriùs objectá: Turpe esse patricio, & nobili, & causas oranti jus, in qvo versetur, ignorare. Qvo qvidem dicto Mucius ad vocis ambiguitatem, quâ & jus ipsum, & locus, *ubi jus redditur more majorum*, sive auditorium & officina justitiæ designatur, *id qvod fit, & ubi fit*, allusisse videtur: qvasi hunc in modum locutus sit. *Turpe esse caussas oranti, cùm in jure versetur, jus tamen ignorare*: sentiens nimirum satis indignum esse, patronum caussarum, & (ut cum Justiniano loqvi liceat) judiciorum athletam, cùm pro rostris assiduè versetur, & freqvens tantumq; non ordinarius coram prætoribus conspiciatur, in jure tamẽ civili novũ quodammodo esse ac profanum: Nobilem adeò ac Patricium: cũ tamen ut Juvenalis canit,

l. 2. §. 43. d. orig. jur.

l. pen. d. just. & jur. l. 4 § 1. d. interrog. in jur. faciend.

— — *Sæpè ima de plebe Qviritem*
Facundum invenias, solet hic defendere caussas
Nobilis indocti: veniet de plebe togatâ,
Qvi juris nodos & legum ænigmata solvat.

Ut proinde ex Mucii sententiâ patronorum numero minimè sit accensendus, qvi non idem juris sit peritus. Nec alterius fuit opinationis Fabius, cùm sic inqvit: *Qvo autem modo Patronum se caussarum non falsò dixerit, qvi qvòd est in caussis potentissimum, sit ab altero petiturus: penè non dissimilis iis, qvi Poëtarum scripta pronunciant? Nam qvomodo mandata perferet, & ea, qvæ à judice sibi credi postulaturus est, alienâ fide dicet, & ipse litigantium auxiliator egebit auxilio?* Cui & assensum suum præbent scriptores alii. Qvint. lib. 12. c. 3.

12. Eâ verò Mucii objurgatione tactus Servius mox animum ad juris studium accuratiùs cognoscendum & ipse adjunxit: eo sanè profectu, ut quamvis Mutio diutiùs uti non potuerit, & ad ejus discipulos Balbum Lucilium & Aqvilium Gallum confugere sit coactus, tamen brevi tempore reliqvos ætatis suæ Jureconsultos superârit; in orandis certè caussis primùm aut saltem ab Oratorum principe disertissimo illo Romuli Nepotum, quot sunt, quotve fuere, qvotq; post aliis erunt in annis, secundum locum meruerit: atq; ab illo ipso propter admirabilem, incredibilem, ac penè divinam in legibus interpretandis, & ex æquitatis normâ explicandis scientiam passim commendatus, plures etiam libros & volumina, absq; ulla patriciæ suæ gentis maculâ, absq; ullo munerum in Rep. gestorum dehonestamento scripserit: a populo ipse Romano, cùm licet infirmâ uteretur valetudine, tamen vel in extremo spiritu, si Kirchn. de legat. l. 1. c. 5. n. 8. & 9. Lim... d. ... Rei

 qvid

quid labanti Reipubl. consilii & opis adferre posset, susceptâ periculosissimâ illâ ad Antonium civitatis perduellem profectione experiendum ratus, in ipso tàm laudabilis studii stadio exspirâsset, animamq; qvasi in Reip. sinu deposuisset, ob egregia in eam merita, statuam pro rostris adeptus.

Cic. Philip. XI.

13. Qui quidem honos, ut non vulgaris, sic prisco ævo haud Principibus tantùm viris, sed privatis etiam hominibus τοῖς κατὰ τὴν ἀρετὴν διαπρέπουσιν, accendendis nimirùm hujus amore mortalibus, decerni solitus fuit: docente id præter alios Q. Aurelio Symmacho Præfecto Urbi, cùm pro statuâ Vettio Prætextato Consuli erigendâ Theodosio & Arcadio Augustis supplicans, hunc in modum scribit: *Nam præter illam populi Romani insitatum dolorem, etiam Senatus impatiens dispendii sui solatium petit de honore Virtutis: vestrumq; nomen precatur, ut virum nostrâ ætate mirabilem, statuarum diuturnitas tradat oculis posterorum: non quòd ille præmia terrena desideret, qvi gaudia corporis, etiam cùm hominem ageret, ut caduca calcavit; sed quia ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Hinc factum est, ut rusticis adhuc seculis optimi qviq; civium manu & arte formati in longam memoriam mitterentur. Atq; utinam nihil huic decori facilitas adulantium posteà denegasset: qvamvis paria non sint, qvæ dispari arte qværuntur.*

Plin. Panegyr. ad Trajan. Etymo. Magn.

Symm. lib. X. epist. 32.

Di-

Dignum est igitur, ut, qui in pectoribus omnium manet, sit in ore plurimorum.

Eodem ergò Virtutis præmio Servius quoq; neutiquam indignus: de cujus viri nunquam satis deprædicandâ ergà Rempubl. voluntate Tullii in Senatu Romano habita elegantissima legatur, ad pares animi concipiendos spiritus oratio.

11. Sed ad meum *Mutium Scævolam* ut revertar, illud quidem minimè omnium omiserim, præter legem *Liciniam* & *Mutiam* ab eo, & collegâ *Crasso* latam de civibus regundis adversus Italicorum populorum ambitionem, qui Romanæ civitatis cupiditate incensi se pro civibus gerebant, sed quæ cùm occasionem bello dedisset Italico, nec sine magnâ Italiæ perturbatione diutiùs defendi posse videretur, rebus commutatis, & ipsa tandem abrogata fuit: institutam quoq; ab illo fuisse cautionem sive sati-dationem, cujus utilitas consistit in conditionibus, quæ in non faciendo sunt conceptæ: ut puta, *si Capitolium non adscenderit, si Stichum non manu miserit, si non nupserit*, & in similibus aliis, quæ morte demum legatarii finiuntur, nec nisi fine vitæ ejus expleri possunt. Cæterum ne mora fiat præstationi Legatorum, potest legatarius heredi stipulanti cavere satisdatò, se non facturum, ut legatum consequatur, aut si fecerit, unà cum fructibus medii temporis re-

Ascon. in Cornel. & pr. Scauro. Cic. in Bruto & lib. de offic. 3. de Orat. 2. pro Corn. Balbo, & pro Sextio. Appian. lib. 1.

l. Mutiana 7. de condit. & de non-str. Novell. 22. c. 43. & seqq.

l.67.l.77.§ 1.l.79.§.2. de cond. & demonstr.

stituturum. Neq; id solùm in Legatis placuit: verùm in hæreditatibus qvoq; idem remedium admissum est.

15. *Matiana cautio* appellata, autoris sui nomini ac memoriæ conservandæ vel sola sufficiat: cujus qvidem ut universa vita, sic & mors illustris fuit. Inciderat nimirum extrema ejus ætas in eam Reipubl. perturbationem, qvam Marianorum Sullanorumq; funestissimæ contentiones excitârunt: atq; in eâ, veluti Reip. Romanæ funere, cùm ne mortis qvidem terrore à rectâ sententiâ abduci posset, sed in hâc mori mallet, qvàm Jurisprudentiæ vel minimam ambitiosæ temeritatis vel inconstantiæ atq; levitatis notam inurere, ipse qvoq; occubuit: in funere primum C. Marii jussu, C. Fimbriæ, hominis longè audacissimi graviter vulneratus, nec minùs in jus ab eo, hoc solo prætextu, qvod non totum telum corpore recepisset, vocatus: quinquennio autem pòst Marii junioris jussu, à prætore urbano L. Damasippo sive (ut Appianus scribit) Bruto, in ipso ædis Vestalis vestibulo jugulatus anno Urbis conditæ cIↃCLXXII. Qvâ qvidem re Populus Romanus nihil vidit indignius, ut cum Balduino exclamare liceat. *Qvid? Non potuit barbarus carnifex Mucium occidere: non enim tanti viri vel vultum & oculos ardentes ferre potuit: & qvi juri dicundo præest non exhorrescit, cum Mucium Juris Romani Antistitem trucidat?* At enim verò toto illo tempore sine ullo jure Respubl. Romana fuit, ut Cice-

Cic. 3. de natura Deor. Appian. lib. 1. Vell. Pat. lib. 2. Hor. lib. 3. c. 25.

ro

ro ait in Bruto. Et justam tàm injustæ cædis pœnam dependit paulò pòst Damasippus. Est enim ab ipso Sullâ interfectus: sicut & se ipsum occidit Brutus ille, quem Appianus narrat tunc prætorem fuisse: & deniq; junior ipse C. Murius, qui Scævolam jugulari jussit, eo quo Fimbria modo, malè periit. Cicero pro Roscio scribit, Q. Scævolam ab iis, qvos per compositionem servare volebat, esse interfectum: sed ejus mortem tantùm potuisse, ut eos etiam afflixerit atq; perdiderit, secutis qvippe horribilibus illis proscriptionibus Sullanis.

16. Atq; hæc de Mucio, ex infinitâ copiâ rerum præclarissimarum, verborum compendio excerpere volui. Reliqua, quæ de eo pariter, ac gentilibus ejusdem, veterũ prudentum principibus dici possunt, ea præsertim, quæ illis accepta ferre Romana Jurisprudentia debeat, pluribus persecutus est Franc. Balduinus, peculiari, quem suprà laudavimus, commentario: digno me herclè, qui manibus studiosorum diligentiùs versetur.

Cap. II.

1. AElius Gallus à Cajo JCto lege nonâ & decimâ d. usurp. & fruct. citatur: sumtaq; reperitur ex ejus libro primo de verborum, quæ ad jus pertinent, significatione lex CLVII. de V.S. Tametsi enim exemplaria qvædam partem in-

ſcriptionis in reſponſi contextum rejecerunt, quaſi ſcriptum fuiſſet, *quantum ad juris pertinet largam ſignificationem, parens eſt* &c. vitioſam tamen eſſe eam lectionem docuit eruditiſſimus Gœddeus: cùm præſertim vel ex indice Juſtinianeis Digeſtis præfixo pateat, *Ælium Gallum*, de *verborum*, quæ ad jus pertinent, *ſignificatione* aliquot libros conſcripſiſſe.

m Goedd. ad tract. de verb. ſignif. c. 26. Alber. Gent. de libr. jur. civil. c. 2. ad fin. Valentini. Forſter. in hiſtor. jurid. delin. brevis §. Atque Digeſt.

2. Florentina ergò lectio heîc meritò præferenda: ut quæ aliàs quoq; (vel propter egregium illud duorum Jureconſultorum, ſive Bartolus fuerit & Baldus, ſive Bartolus & Accurſius, exemplum, qui in concertatione qvâdam ad Florentinum codicem, tanquàm ad ſacram, quod ajunt, anchoram confugerunt, miſſo Piſas nuncio ad veritatem lectionis eruendam) quia ceteris vetuſtior, ob id & venerabilior, juxtà Coraſium, Cujacium, Gothofredum, & alios cenſetur. Etſi tamen, ut verum fatear, libri illi tantum autoritatis vix merentur, quantum apud pleroſq; etiam doctiſſimos obtinent: quia nimirùm deteriori jàm ævo ſcripti, cùm multum barbarici Lingvæ Latinæ adhæſiſſet: ut proindè eò faciliùs exſcriptorum, quibus ſacra illa edicta committebantur, manus peccare potuerit, quàm etiam eruditiſſimam & ſubactiſſimam in aſſequendis literarum ductibus obſolefactis, impingere poſſe manifeſtum eſt iis, qui vel ſemel aut unius codicis, antiqvitatis tàm altæ, collatione horas aliquas inſumere voluerunt. Unde quidem, ſi ex vulgari lectione pugna, vel iniqui-

n Juſt. Rycq. epiſt. ſelect. cent. 2. epiſt. 64. Caſp. Barth. adverſ. lib. 8. c. 8.

quitas vel absurditas non prodeat, resultetvè; tùm à Florentinâ lectione quandoq; recedere melius esse ac tutius, Gœddeus ipsemet affirmat.

3. Sunt, qui putant, Ælium Gallum eundem esse cum Aquilio Gallo, cujus capite præcedenti meminimus. Sed quod calidè tamen asserere minimè ausus, ampliandum potiùs more veteris Senatûs, vel cum Academicis in re, etsi verò simili, sententiam sustinendam censeo.

CAP. III.

1. P. ALFENUS VARUS, Servii JCti auditor πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων: idemq; rerum antiquarum haut incuriosus, ac Physices perqvàm peritus. Id qvod satis docet ex hâc Philosophiæ parte (ut multa sunt alia in jure constituta, qvorum ratio ex ipsâ Philosophiâ naturali dependet) confirmatum ab eo responsum, quo traditur, pluribus judicibus in eandem rem datis, nonnullisq; excusatis, & in eorum locum aliis suffectis, idem tamen judicium, & rem eandem permanere: non tantùm si unus & alter, sed & si omnes judices mutati sint: neq; verò in hoc tantùm, sed & in cæteris rebus evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimetur. Legionem enim eandé haberi, ex quâ multi de-

A. Gell. lib. 6. c. 5.

l. proponebatur 76. ff. de judic.

ces-

cessissent, qvorum in locum subjecti alii essent: & populum eundem hoc tempore putari, qvi ab hinc centum annis fuisset, cùm ex illis nemo nunc viveret. Itemq; navem, si adeò sæpè refecta sit, ut nulla tabula eadem permaneret, qvæ non nova fuisset, nihilominùs eandem esse existimari. *Qvod si qvis enim putaret*, inquit, *partibus commutatis aliam rem fieri, fore, ut ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qvi ab hinc anno fuissemus: propterea qvod, ut Philosophi dicerent, ex qvibus particulis minimis consisteremus, hæ qvotidiè ex corpore nostro decederent, aliæq; extrinsecùs in earum locum accederent. Qvapropter, cujus rei species eadem consisteret, rem qvoq; eandem esse existimari.* Elegans me herclè responsum: sed in qvo Accursius de atomis malè accipit, quod de accretione & nutritione accipiendum venit: uti locus iste D. Hieronymi confirmat in Epitaphio Paulinæ. *Ætatum diversitas non mutat corporum veritatem. Cùm enim corpora nostra qvotidiè fluant, & crescant ac decrescant, ergò tot homines erimus, qvòt qvotidiè commutamur?* Plura ad id ex Aristotele & Plutarcho haut injucunda congessit Andreas Alciatus JCtus & Criticorum suo seculo princeps: in eo tamen fidem nequaquàm meritus, qvod existimat Alphenum à Plutarcho multa mutuatum, qvæ in illud suum responsum transtulerit: cum tamen Alphenus Varus totis centum annis Plutarchum Chæronensem, Trajani Principis educatorem, Philosophum illum Historicum, Politi-

Alciat. lib. 2 parerg. c. 11.

Jan. Langl. Semestr. lib. 5. c. 1.

liticum & Antiqvarium summi limatissimiq; judicii antecesserit: ut proindè vero similius sit, si quid aliundè sumtum, ab Alpheno Plutarchum, quàm ab hoc illum, accepisse.

2. Natus creditur Alphenus Cremonæ, noto Italiæ opido, quod colonia Romanorum factum T. Sempronio & P. Cornelio Coss. anno U. C. IↃXXXVII. ingruente in Italiam Hannibale, uti propugnaculum esset, memoriæ proditur ab Livio & Tacito: ubi quidem cùm sutrinam diu noster exercuisset, omni tandem

abjecto instrumento artis, clausaq; taberna, Serm. lib. 1. Satyr. 3.

ut Horatius in illum urbanè jocatur, Romam veniens, etsi ætate jam provectior, Servio Sulpitio operam dedit, & in tantum evasit jurecconsultum, tantamq; sibi nominis celebritatem, atq; existimationem peperit: ut non modò ad fastigium Consularis dignitatis, quæ Claudiano *portus honorum* dicta, & cui adeò cuncta alia culmina dignitatum cedere ipsimet Imperatores sanxerunt, evectus fuerit; sed & publico funere à Populo Romano efferri meruerit. Proh verò fortunam! fortunam ajo cœcam & iniquam, sed erga hunc æquam & oculatam: quæ virum eruditione variâ præstantissimum, sed è sutrinâ traductum, in summo honorum gradu constituit: eò sanè majori admiratione, quod in spem hujusmodi minimè fuerat educatus: cum Iphricate illo, qui cum sutoris esset filius, ob virtutem & rei militaris peritiam factus est Atheniensium Imperator: cumq; Harmodius ei

ob

ob generis ignobilitatẽ convicia ingereret, *Meum*, dixit, *genus à me incipit, tuum in te desinit:* aut cum Heroně Philosopho hâc in parte comparandus, de quo Theon in progymnasmatis: *ἄξιον δὲ ἀγασθαι καὶ τὸν ἐκ βαναύσου τέχνης, ἢ πονηρᾶς τύχης, ἀγαθόν δυνηθέντα τι ἐργάζεσθαι: ὁποῖον λέγουσιν Ἥρωνα μὲν σκυτότομον, Λεόντιον δὲ τὴν ἑταίραν φιλοσοφῆσαι.* h. e. *Est verò admiratione dignum si quis opificio manuario aut deteriore fortunâ progressus, aliquid præclari operetur: uti perhibent de Herone sutore & Leontio meretrice ad Philosophiam animum applicante.*

Plutarch. in Impr. Apophth.

3. Consulem porrò fuisse legimus unà cum P. Venutio Nepote anno IↃccLIII. sive ut alii volunt, IↃcccLIV: atq; adeò quadriennio ante, quàm omnium gentium expectatio JESUS CHRISTUS, DEI Filius, DEUS ipse, ex Mariâ Virgine, felici partu natus est. Quæ vel sola temporis ratio facit, ut Alfenum Varum, quem ab A. Vitellio Imp. in locum P. Sabini Profecti Prætorio (cum vinciri ipsum ob amicitiam Cecinnæ jussisset) substitutum infamiæ suæ atq; ignaviæ superfuisse Tacitus ait, Alfenum item illum, quem Lampridius in Alexandro inter Papiniani discipulos Alexandriq; Consiliarios refert, nisi *ἀνιστορησίας* ἢ *ἀχρονογραφίας* dicam illi scribere velimus, alios planè ab hoc nostrate fuisse oporteat: cùm præsertim de posterioris cognomine haud dùm liqueat: etsi Varum etiam fuisse dictum Iohannes Co-

Ta-

rasius ex Lampridio parùm consideratò contendit.

4. Scripsit noster Digestorum libros (quales & alii multi, ex priscis Jureconsultis, sic dictos, qvòd titulis aptè distincti) quadraginta: quos vir doctissimus Julius Paulus tanti fecit, ut eos in epitomas redigere non dubitaverit. Citat ex illis Agellius librum quartum & trigesimum: nec non collectaneorum secundum.

CAP. IV.

1. ANTISTIUS LABEO patrem cognominem habuit, illustri & genere & sapientiâ virum: ut quod Lyricus Vates extulit,

Fortes creantur fortibus, & bonis.

exemplo id suo confirmaret: litterarum ipse antiquarum, altiorumq; ac legum præsertim atq; morum populi Romani, jurisq; civilis, quod à plerisq; suæ ætatis Jureconsultis, sed à C. Trebatio Testa præcipuè didicit, cùm nec ceterarum artium liberalium expers, sed omni potiùs illarum genere, ac Philosophiæ præsertim Platonicæ tinctus atq; imbutus esset, apprimè gnarus: eâ insuper animi libertate & constantiâ: ut Augusto jam principatum obtinente, nihil ratum pensumq; haberet, nisi quod justum sanctumq; in Romanis antiquitatibus reperisset: in Senatus quin etiam lectione hostem Augusti M. lepidum tunc exulantem legeret, interrogatusque, *an essent alii digniores,*

Agell. l. 13. c. 10. Joach. Hopp. ad Pandect. lib. 1. tit. de JCtis p. mihi 254.

res, *suum qvemq; judicium habere* responderet. Autores hujus rei Svetonius & Agellius: quorum ille haud ideò libertatem ei aut contumaciam fraudi fuisse addit: etsi hoc nomen negari nequit, qvòd liber iste Spiritus aut severi mores, sub moderatissimo quodam Principe Augusto, famam Labeoni conciliaverint, populo adhuc pristinam Libertatem suspirante, & applaudente suffragatoribus ejus, sed progressum tamen retardaverint dignitatis. Hac enim ipsum anteivit Attejus Capito, scientiâ qvidem juris inferior; sed plus ad Principis gratiam, id est, ad eminentiorem gradum honoris valuit, qvòd in adulationem submissus, Principis voluntatem auctoritate juris sanctiorem haberet. Is ipse nimirùm, qui cum Marcus Pomponius Marcellus, Illustris Grammaticus, in oratione Tiberii Cæsaris verbum aliquod (etsi fortassis parùm sapienter, in tantâ Principis sævitiâ) reprehendisset, projectâ erga Cæsarem adulatione affirmare ausus fuit, & esse illud Latinum, & si non esset, futurum. Sed cui tamen Marcellus non minùs verè qvàm liberè respondit; *Certè jam inde*, inquiens, *mentitur Capito. Tu enim Cæsar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes.* Atq; hæc ergò caussa denegati Antistio ab Augusto Consulatûs, & in Capitonem, cujus *obsequium*, inquit Tacitus, *dominantibus magis probabatur*, accelerati: sed eo cum fructu; ut illi, quòd præturam intrà staret, commendatio ex injuriâ, huic, quòd consulatum adeptus esset, odi-

Sueton. in August. c. 99. Agell. l. 13. c. 12.

Diodor. Julden. de cognit. sui lib. 5. c. 9.

Sueton. d. illust. Grammat. c. 22.

Tacit. l. 3. annal.

odium ex invidiâ oriretur. Potior namq; hac in parte fides apud me historici gravissimi, quàm ipsius Pomponii nostri, hominis doctorum suffragio haud nunquàm hallucinantis: qui cum offerretur Labeoni ab Augusto Consulatus, noluisse eum honorem suscipere scribit. *l. 2. §. 47. de orig. jur.*

2. Quicquid verò sit (neq; ignotæ mihi aliorum interpretationes, quibus Pomponii assertionem non incommodè leniri posse putant) id Pomponio haud difficulter credam, quod de vitâ Labeonis memoriæ prodidit, plurimùm studiis operam dedisse, & annum totum ità divisisse: ut sex menses Romæ doctissimorum virorum commercio consvetudineq; frueretur: totidem recessu gauderet, conscribendisq; libris incumberet. Bona me herclè ac laudabilis anni partitio! Quemadmodum enim magnam vim habet prudentum consvetudo, atq; heic, si alibi unquàm, verissimum est Senecæ illud, *Breve iter per exempla, longum per Præcepta*: ut proindè Romæ olim adolescentes nobiles non tàm ex libris scholisvè qvàm ex consvetudine seniorum, in quorum se familiaritatem contulissent, discere solerent: ità librorum compositio, si victuri genium habere debeant, turbam non amat, sed

— — *secessum scribentis & ocia quærit:*

quippè cùm εὑρετικῆ maximè sit ἐρημία: & quæ in scribendo necessariò requiruntur, facilè turbâ atq; strepitu impediri soleant. Demosthenem sanè locum ad scribendum procul ab ho- *Melch. Jan. met ord. leg. c. 17.*

minum oculis strepituq; remotum sibi delegisse Plutarchus affirmat: pariterq; C. Plinium solitudinis & silentii mirum amatorem & sectatorem fuisse, & ad ea captanda sæpè, cùm per Reip. negocia liceret, secessum quæsivisse ex ejus epistolis abundè apparet. Neq; verò ignotum illud Horatii.

Plin. lib 1. epist. 6. & 9
Hor. lib. 2. epist. 2.

Præter cætera Romæ méne poëmata censes
Scribere posse inter tot curas, totq; labores?
Hic sponsum vocat: hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterq;.
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina ti-(gnum
Tristia robustis luctantur funera plaustris.
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus.
I nunc, & versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit Urbes &c.

His ergò de caussis solitudinem quærant, quicunq; seriis operam dare volunt: quomodo nimirùm & *merulæ in remotis tesquis fringultiunt, & lusciniæ in solitudine Africana canticum adolescentiæ garriunt, & olores apud avios fluvios carmen senectæ meditantur*; ut habent delicatissima Apuleji verba.

Apulej. 3. Florid.

3. At neq; illud silentio prætermittendum, in sectas divisas fuisse, (prout solet naturalis hominum esse ad dissentiendum facilitas) Atejum, de quo memoravi & Labeonem: cùm alter in his, quæ ei tradita fuerant, perseveraret, nec ab eorũ sen-

l. item si unus 17. §. principaliter d. recept. arbitr. d. § 4. Paul. Big. lib. 6. subt. jur. c. ult.

sententiâ, sub quibus profecerat, facilè discederet, alter,

nullius addictus jurare in verba Magistri,

singulari quâdam ingenii qualitate, vi, acumine, & subtilitate, doctrinæq; fiduciâ fretus, plurima innovare instituerct. Cujus rei obvia passim in Pandectis exempla, & in his illustria duo, cùm aliis viris eruditis, tùm & Dominico Arumæo, summi nominis Jureconsulto, Præceptori quondam, sive, ut Doctores nostri loqvuntur, Domino meo perpetuâ grati animi memoriâ colendo, in elegantissimo de morâ tractatu observata, quorum unum est in *l. 5. & 6. d. pecul.* alterũ *in l. 1. §. dolum malum de dol. mal.* quàm in reprehendendo liber, ac definitionũ præcipuè studiosus, immò curiosus fuerit Labeo, satis demonstrantia. *Arum. de morâ c. 3.*

4. Eas verò dissensiones haud parùm auxerunt Labeoni succedens Nerva, Atejo Masurius Sabinus ὁ πάντα (verbis Athenæi, cujus quidem qvintus Dipnosophistarum liber nihil ferè aliud nisi Masurii hujus sermones continet) ἄριστος καὶ σοφὸς, καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος, καὶ περὶ τὴν μουσικὴν ἐνδιατρίβων ἀεί: de quo & notum illud Persii. *Athen. lib. 14. δειπνοσοφ.*

Excepto, si quid Masuri rubrica notavit.

Is ipse, inquam, qui sub Imperio Tiberii Cæsaris floruit, deq; jure publico respondendo scripsit & in equestrem ordinem receptus fuit privilegii loco, eum jam esset natu grandis ac propè quinquagenarius: ceterùm in re, ut est plerumq;

Menti bonæ fatale paupertas onus,

 adeò

adeò tenui, ut à suis auditoribus plurimùm fuerit sustentatus. Quæ quidem pietas discipulorum ergà Præceptorem valdè est notanda, & imitatione digna, etsi hodiè perrara, dùm

Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.

5. Meminit Labeonis plus vice simplici A. gellius: maximeq; libri decimi tertii capite decimo: ubi cùm valdè eum commendâsset, ad postremum addit: *Latinarum vocum origines rationesq; percalluerat: eaq; præcipuè scientia ad enodandos juris laqueos utebatur.* Adeò nimirùm Jureconsultis quoq;, præcipua verborum debet esse notitia: ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, ait Plato in Gorgiâ: haut minus verè ac Socrates olim, teste Epicteto, τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν, contemplationem nominum, principium eruditionis dixit. Quam ob caussam tot excellentes viri, ad hanc usq; tempestatem, tot editis libris, indolem ac naturam vocabulorum, quæ notæ sunt & quasi cubilia rerum, de industriâ inquisiverunt: ipsique adeò Stoici, homines in indagandâ veritate seduli & gnari, & qui magnam vitæ partem in excutiendo ejus instrumento Dialecticâ agebant, quod viderent, omnem veritatis investigationem à signis rerum seu verborum notione optimè inchoari, de hâc in Dialecticâ potissimùm egerunt: in duas eam partes περὶ σημαινόντων καὶ σημαινομένων, de significationibus & significatis dividentes.

Giphan. præfat. in cart. tit. l. Contr. Gnomon. fin.

Christ. Breman de propr. significat. vocum in l. L. Dan. H(einsius) exerc. sacr. in Nonn. cap. 10.

6. Neq; verò in jure nostro ulla ferè occurrere

Art. Tab. Zurupr.

rere poteſt quæſtio, quàm non vel ex vocis pro-prietate, vel ipſâ rerum per voces ſignificatarum naturâ & ſubſtantiâ decidi oporteat. Proprietas namq; vocis plerumq; quidditatem rei oſtendit, ac ſicut notitia ſignati pendet à ſigni notitiâ; ita & rerum intelligentia pendet ab intelligentiâ verborum: proindeq; ſicut ignoratis ſignis ignorantur ſignata; ita ignoratis verbis neceſſe eſt ipſas quoq; res ignorari. Id quod principes illi juris conditores probè intelligentes, in operoſo & ampliſſimo Juris corpore membrum unum, & quidem ingens, voluerunt eſſe de verborum ſignificatione: quem quidem titulum etiam aureum vocare non dubitârunt. Ut proindè minimè ſibi blandiri habeant cauſſidici, qui moti autoritate Bartoli, quem dixiſſe legimus: *De verbis non curat Jureconſultus*, veterum prudentum verba reſpuentes, barbaris uti amant, ac novo nomine Reales dicti falsò gloriantur, ſe ſolos habere rerum nucleos, alios eorundem modò cortices, id eſt, vocabula. Quos quidem Taubmannus noſter carpit haud immeritò,

Pap. lib. 1. [illegible] pr. [illegible] Cars. Marsus [illegible] [illegible] lib. [illegible] 7. n. 2. arg. lib. 1. [illegible] ex ipſa re no[illegible] ceperu[illegible] Inſt. eod. 3. [illegible] 3. inſtit. d. donat. §. ult. Inſtit. de fid. her. [illegible] §. 4. [illegible] qui not. [illegible] Hermo. d. [illegible] n. 3. Tuopler. lib. 3. Metaphyſ. c. 4. q. 9. & p. 1. Phyſ. gener. problem. 1. [illegible] Vives lib. 1. d. cauſſ. corr. art.

> — — *Latrant barbara cauſſidici,*
> *Seq; MEROS iſtâ jactant ratione REALES.*
> *Nempè bonis rebus ſe bona verba negant.*
> *O juris ſtultos! Ipſi veſtri ergo Magiſtri*
> *Verbales tantum Scævola, Sulpitius,*
> *Atq; alii, quos Pandecta Codexq; probârint,*
> *Res magnas ipſo cum Cicerone loqui.*

7. Reliquit vir πολυγραφιότατος quadra-

ginta volumina: sed è quibus in Indice Pandectis præfixo non nisi duo citantur: libri nempè πιθανῶν sive probabilium octo, in quos notas scripsit Paullus: itemq; posteriorum decem, quorum epitomen fecit Julianus, etsi plures tamen fuisse non solùm ex *l. 9. d. dol. & l. 9. ad J. Jul. pecul.* apparet, ubi Labeonis posteriorum trigensimus septimus, nec non trigensimus octavus leguntur: sed id ipsum Agellius quoq; testatur, eorum librorum tres continuos trigensimum octavum, trigensimum nonum, & quadragesimum plenos esse ajens rerum ad enarrandam & illustrandam Lingvam latinam conducentium. Ex quorum uno aliquo desumtus est haud dubiè insignis ille locus & quem periisse, si Meursio fides, graviter profectò intererat omnium antiquitatis studiosorum, apud Festum Grammaticum: cùm nimirùm Secespitam nobis ex Labeone sic describit: *Secespitam esse Antistius Labeo ait, cultrum ferreum oblongum manubrio rotundo eburneo, solido, vincto ad capulum auro argentoq;, fixum clavis aneis ære Cyprio, quo Flamines, Flaminicæ Virgines, Pontificesq; ad sacrificia utuntur. Eadem aliàs dicitur, quâ in sacrario utuntur. Sacraria namq; in templis reticulo æneo olim sepiebantur, in quo tubæ relicta sunt, per quas manibus sacra tangere licet.* Nisi quis malit locum adscribere Labeonis de jure Pontificio Commentariis, qui Festi Pompeji, Charisiiq; Sosipatri testimoniis posteritati commendantur. Libri undecimi, fortè ad Edictum, libri pri-

a. *Meurs. in Mantis. ad lib. singul. de luxu Roman. c. 20.*

primi prætoris urbani, libri trigenſimi prætoris peregrini mentio reperitur apud Ulpianum in *l. 7. d. recept. qui arbitr. l. 19. d. verb. signific. d. l. 9. §. 4. d. dol. mal.* librorum epiſtolarum apud Pomponium in l. *30. d. uſurp. & uſucap.* etſi Cujacius ibi pro Labeone Javolenum ſubſtituit; libri item decimi quinti Reſponſorum apud Rufinum ſive in fragmentis Pithoei tit. XII. de incend. Commentaria deniq; ejus in XII. tabularum leges aliquotiès laudat Agellius: ac præſertim libri viceſimi capite primo: ubi contra pœnam viginti quinq; æris in injuriam alteri facientes conſtitutam, quaſi nimis exiguam, & proindè incitantem homines ad delicta diſputans, eandem ſcribit etiã Labeoni fuiſſe improbatam: exemplo relato impii & petulantis hominis Lucii Neratii, qui quaſi pro delectamento habebat obvios quosq; depalmare, annumeratis ſtatim á puero pediſequo XXV. aſſibus, ne poſſet quisquam ampliùs conqueri.

Briſſon. Sel. ex J. Civ. antiq. l. 4. c. 16.

Agell. lib. 1. c. 12. lib. 2. cap. 1.

CAP. V.

1. LICINIUS PROCULUS non levis (Divorum fratrum, puta Marci Aurelii Antonini cognomento Philoſophi, & Lucii Ælii Veri Antonini, haud quidem, quod naturales fuerint fratres, ſed quia ambo ab Antonino Pio, jubente Hadriano adoptati, ſic dictorum elogio) juris autor, temporibus vixit Domitii Neronis, immanis illius & efferatæ belluæ, adeoq; poſt

l. divi 17. d. jur. patron.

Gallum Senecionem à cohortibus prætorianis miserabilitèr trucidatum, Salvii Othonis, & Aurelii Vitellii de imperio concertantium: quorum illi adeò familiaris fuit, ut Præfectus Prætorio creari ab eo meruerit: quæ dignitas post Imperatoriam suprema erat, & ea quidem ἀνυπεύθυνος: Principibus sic persvasis, eos, qui ob singularem industriam exploratâ eorum fide & gravitate ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse pro sapientiâ ac luce dignitatis suæ, quàm ipsi forent judicaturi.

l. unic. §. 1. d. offic. præf. prætor.

2. Liciniorum domum celebrat Plinius in epistolis: sive à Licinio illo Liberto C. Jul. Cæsaris & Octaviani ditissimo, sive ab aliis antiquioribus. Rei quidem bellicæ gloriâ sic eminuere: ut plures Præfectos Prætorio habuerint. Nam præter Licinium hunc etiam Trojano regnante Licinius Sura Præfectus Prætorio fuit, idemq; ter Consul: tàm potens ac locuples, ut suo sumtu publicaret gymnasium populo Romano, & dictas ab eo thermas Suranas: publico funere ab ipso Principe (ut qui eo potissimùm duce & præfecto castrorum Daciam vicerat) elatus. Qvin & iidem tandem ad Imperii Majestatem evecti: quippè cùm è Liciniis fuerint Valerianus Cæsar, ejusq; filius Gallienus. A. C. 269. unà cum fratre Valeriano, & filio apud Mediolanum Heracliani dolo & Claudii occisus. Proculi autem cognomen ei à veteribus inditum, qui natus esset Patre peregri-

Joh. Ferf. d. Præf. S. Prætor c. 6. & mil. 164 & seqq.

Hopper. ad Tanil. jur. civil. lib. 1.

gri-

grinante à patriâ procul, vel Patre sene ac ætate procul progressio anteceit Festus. it. de JCtis pag. mihi 252

3. Multa de nostro Tacitus, atq; hoc cumprimis: *Militum equitumq; copiis Svetonius Paullinus, Marius Celsus, Antonius Gallus rectores destinati: sed plurima fides Licinio Proculo Prætorii Præfecto. Is urbanæ militiæ impiger, bellorum insolens, auctoritatem Paullini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuiq; erat, criminando, quod facillimum factu est; pravus & callidus bonos & modestos anteibat.* Tacit. lib. I. hist. Et iterum: *Otho pronus ad decertandum. Frater ejus Titianus, & Præfectus Prætorii Proculus, imperitiâ properantes, fortunam & Deos & Numen Othonis adesse consiliis, affore conatibus testabantur.* Id. lib. histor. Nec multò post: *Profecto Brixillum Othone, honor Imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum Præfectum, Celsus & Paullinus, cùm prudentiâ eorum nemo uteretur, inani nomine ducum & alienæ culpæ prætendebantur. Tribuni centurionesq; ambigui, quòd spretis melioribus deterrimi valebãt: &c.* Atq; penes Proculum ergò ἔπαρχον πᾶσα erat tunc ἀρχὴ, Plutarcho etiam quiritante: sed quæ illi tamen nimiùm quantum βραχυχρόνως: postquàm nimirùm Otho post Bobriacense prælium, ut ne in manus veniret adversarii, id quod illi suppliciorum omnium gravissimum videbatur, sibi manus ipse inferens vitâ & imperio corruit. Ac *Vitellius Svetonium Paullinum ac Licinium Proculum,* ait Tacitus, *tristi morâ sqvalidos tenuit, do-* d. l. 2.

nec auditi necessariis magis defensionibus, quàm honestis uterentur.

4. Acerrimus porrò noster hic à Labeone & Nervâ patre acceptorum propugnator, cùm præ cæteris autoritate supra omnes sui temporis Jureconsultos valeret, Cassio dogmatum Capitonis, ac Sabini præsertim Magistri & autoris sui fideli ac tenaci servatori, velutiq; in hujus verba jurato, ut qui à Sabini sententiâ vix unquàm recesserit, sed eam apertè secutus, & si quandò obscuritate vel difficultate laboraret, omni studio excusare & adminiculari nisus fuerit (ceu latiùs serpere amat, ubi semel cœpit dissensionum origo, & secundùm illud Martialis:

Qui volet ingenio cedere, rarus erit)

vehementèr sese opposuit: undè duæ illæ Jureconsultorum sectæ, quarum passim fit mentio, Proculejanorum & Cassianorum, nimirùm inter Rhetores Apollodoreorum & Theodoreorum, exstiterunt: hâc quidem inter illos differentiâ magnis viris observata: quòd Sabiniani magis ea sequantur, quæ manu teneri & prehendi possunt; Proculejani, quæ ratione ac intelligentiâ; idq; satis ostendit nobilis illa disputatio de confectione rei alicujus ex materiâ alienâ. Sabiniani namq; formam materiæ cedere volunt, contra Proculejani, materiam formæ, tanqvàm nobiliori.

M. Freher. lib. 2. parerg. c. 15.

Joach. Hop. ad l. pomiis 64.

5. Reliquit ἐπιστολῶν libros aliquot: quo scribendi genere Javolenum quoq; ac Pompo-

nium

nium uſos legimus. Neq; enim illud modò pro materia epiſtolari eſt habendum, quod in conſvetudinem ac ſocietatem vitæ civilis & quotidianæ, cujusmodi ſunt negociales & morales epiſtolæ omnes, ſed etiam, quòd cadit in ſolertiam & cultum ingeniorum ac ſtudiorum. Itaq; & Varro quæſtiones multas epiſtolis explicavit, & Valgius Ruffus de rebus ſcripſit per epiſtolam quæſitis: & de moribus ac naturâ Senecæ, ut & Platonis exſtant epiſtolæ: quemadmodum item res ſacras epiſtolis perſecuti ſunt, apud Græcos quidem (ne quid dicamus hoîc de SS. Apoſtolorum divinis Epiſtolis, aut D. Ignatii, quæ ad Spiritum Apoſtolicum proximè accedunt, ut tantam hujus ac novitii iſtius Ignatii pugnam cernere ſit, quanta lucem inter eſt ac tenebras) Baſilius Magnus & uterq: Gregorius, Nazianzenus & Niſſenus: apud Latinos autem Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus & alii. De numero tamen librorum non conſtat. Index noſter octo duntaxat habet: ſed plures fuiſſe teſtantur *l. 69. de contrah. empt. l. 12. de præſcr. verb. l. 17. de pact. dotalib.* & libro quippe undecimo Epiſtolarum Paulli deſumtæ, ſi fides inſcriptionibus. Ex ejusdem libro tertio ex poſterioribus Labeonis ſumta eſt *l. 16. de trit. vin. & ol. leg.* Sed legis hujus mutandam eſſe inſcriptionem Labittus admonet: nec ullos Proculi libros ex poſterioribus Labeonis alibi reperiri docet.

J. Lipſ. Inſtit. epiſt. c. 5. Ad Theod. Bib. comm. in Greg. Nazianz. Epiſt. de ſcrib. epiſt. pag. 47.

CAP. VI.

1. PRISCUS NERATIUS inter Pegaſianæ diſciplinæ adſertores floruit, imperitantibus Trajano & Hadriano Auguſtis: quorum utriq; quidem in conſilio, Trojano autem adeò charus fuiſſe legitur: ut optimus Imperatorum & Virtutis magnificus in quocunq; remunerator, aliquandò Priſco dixerit: *Commendo tibi provincias, ſi quid mihi fatale contigerit*: eundemq; adeò ad Imperii ſucceſſorem, multis amicis & propinquis conſentientibus, deſtinârit. Tanta fuit tunc temporis autoritas Jurisperitorum: ut eos in locum ac dignitatem Principum cooptari non dedecori, ſed potiùs laudi habitum ſit. Sed caruit tamen ea Trajani deſignatio ſucceſſu: poſt exceſſum quippe illius ad Imperii dignitatem evecto Hadriano, quem biduo ante mortem adoptâſſe Imperator dicebatur, ſeu verè, ſeu fingente Plotinâ, ejus conjuge, quæ Hadrianum amabat.

l. 6. ad l. Corne. de Sicar. l. 2. §. ult. circa fin. de orig. jur.

2. Conſulem fuiſſe Neratium Annii Veri collegam, VenulejusSaturninus ſcripſit, idemq; voluit Pomponius: etſi vix eſt, ut à viris doctis id impetrent: cùm faſti omnes Conſulares pugnent, qui nusquàm hunc Juris Antiſtitem agnoſcunt, ſed fratrem ejus P. Neratium Marcellum, ſub Trajani dominatione cum Surano Conſulem: cujus & Ulpianus alicubi & Plinius

l. 12. §. 43.

in epistolis meminerunt: Annii autem Veri sub Hadriano collegam faciunt L. Augurem. *vers. Denique Neratius de instr. vel instrum.*

3. Libros reliquit Regularum quindecim: septem Membranarum, in quibus nempe varia, quae ex assiduâ lectione observata & collecta in adversaria s. liturarios obiter retulerat, sed postea accuratius in membranas transscripserat: Responsorum tres: è Plautio item aliquot: ut & Epistolarum: unum deniq; de nuptiis, unde morem sponsaliorum annotat Agellius. *l. 3.* *l. 5. d. serv. rust. praed. d. l. 12. §. 42.*

CAP. VII.

1. JUVENTIUS CELSUS, patris ὁμωνύμου, qui in consilio fuit Ducenii Veri Consulis, filius, cum multis praeclaris Jureconsultis, quorum consiliis, tanquam oraculis Imperium Hadriani nobilitatum fuit, vixit: autoreq; Pomponio Consulatum bis gessit: nimirùm anno U. C. IↃCCCLXV. etsi in fastis quibusdam non Juventii, sed Pupii Celsi nomen scriptum legatur, & anno IↃCCCLXXXI. *l. pater matri 20. in pr. de leg. 2.*

2. Nominatur idem à Paullo ICto Celsus adolescens. Nam sicut Calvum, Caesarem, Pollionem multùm ante quaestoriam omnes aetatem gravissima judicia suscepisse, & praetextatos egisse eosdem traditum est: itemq; de C. Hortensio Oratore nobilissimo Tullius notavit, annos natum XIX. plurimas caussas egisse, & orationes iisdem, quibus scripserat verbis, recitâsse, tumq; nonum Regis fori Romani obtinuisse: *l. si Servum 91. §. 3 de verb. oblig.* *Quintil. lib. 12. cap. 16.*

ita

ita & Celsi hujus Ingenium maturè effloruit, ac fidem fecit non minùs elegantissimis illis quàm verissimis Poëtæ versiculis:

Ingenium cœleste suis maturiùs annis
Surgit, & ingratæ fert malè damna moræ.

Exempla similia, etsi rariora, in antiquâ & recente memoriâ reperiuntur: cumprimisq; Genevæ monumentum visitur, quod pater cuidam filio suo juveni Genevensi & caussarum patrono posuit, verbis inscriptum hujusmodi.

D. M.
L. AUR. LIBERTO JUVEN.
ERUDITO CAUSIDICO
BIS CIVI VALLENSE
ET EQVESTRE DEFUN-
CTO, ANNORUM XVIII.
FILIO PIENTISSIMO
AURELIUS RESPETUS
PATER PONENDUM
CURAVIT.

l. 1. §. 3. de postul. Quid? quòd ipsis legibus proditum est, Nervā filium admodùm juvenē de jure publicè responsitare cœpisse, cum annos natus esset decem & septem, magnum illum deindè Astrææ Mystam. Undè quidem Bartolus & reliqui in eâ ætate constitutum Doctoris titulo insigniri posse consentienter statuunt. At enim alia fortassis educatio, alia institutio, atq; exercitatio * illius juventutis tàm præcocem maturitatem faciebat; atq; ut nec unus altervè dies serenus, nec hirundo una

arg. l. quidam. 57. d. re judic. P. Rebuf. schol. privil. 69. Menoch. lib. 2. d. arbitr. jud. cas. 427. n. 17. & 18. Sichard. in Cod. ad rubr. de proc. n. 8. Morl. in empor. jur. p. 1. tit. 1. n. 3. Rutg. Ruland. d. commiss. part. 1. lib. 1. c. 12. n. 1. & 2. * *Tulden. de causs. corrupt. judic. & remed. lib. 3. c. 8.*

ver facit: sic ex singularibus rarisq; exemplis eorũ, quibus *Ingenium, & rerum experientia velox* Pers. satir. 4.
Ante pilos venit, — —
exstruenda regula non videtur.

3. Sed ad Celsum ut revertar, ejus quanta fuerit autoritas, vel ex eo satis apparet: quòd testimonio illius posteriores Jureconsulti sententias suas frequentèr confirmant. Neq; verò illa ipsa Juris definitio, quæ Ulpiano relata Pandectas auspicatur, *Jus est ars æqui & boni*, alium, quàm Celsum, Autorem habet: concisa ea quidem, sed elegans & artificiosa: quippè cùm justicia (unde quidem jus appellatum) esse non possit, quæ à bono & æquo abhorreat. Justus siquidem ille est, ut Poëta canit,

— — *justo trutinæ qui examine pensat,*
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coëat, nihil ut deliret amussis.

4. Nobile ejusdem apophthegma laudat Paulus: *In quæstionibus, quæ sunt de bono & æquo, plerumq; sub autoritate juris scientiæ perniciosè errari*: conveniens nimirùm ei, quòd vulgò jactari solet, *summum jus summam crucem, summam malitiam, summam injuriam esse.* Quò & pertinet Scævolæ effatum, inter regulas Iuris relatum: *In omnibus quidem, sed maximè tamen in jure æquitatem spectandam esse*, hoc est, præferendam rigido & stricto juri: itemq; aureum Constantini & Licinii Impp. rescriptum: *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisq; quam stricti juris rationem.* Nec ignoti prætereà sunt in eandem sententiam versus Menandri:

d. l. 91. §. 3. de V. O.

l. 90 d. R. J.

l. placuit 8. C. de jud.

Καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσὶν, ὁ δ' ὁρῶν τὸς νόμες
λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης [illegible].

Stob. serm. 42.

Leges quidem res oppidò quàm sunt bonæ. At
Argutia harum evadit in calumniam.

Haud aliorsùm deniq; spectare videtur vulgare illud dictum:

Ipsæ etiam Leges cupiunt ut jure regantur.

Dion. Gothof. ad d.l. 90.

Jure, inquam, hoc est, æquitate: quæ clarissimo Gothofredo docente, scriptæ legis æquamentum est ad hominum utilitatem reductum, vel non scriptæ legis supplementum: tametsi non sum nescius, quantoperè heic controvertant interpretes. Sed lites istas ego meas nunc nõ facio: illud monuisse contentus, in investigandâ æquitate præcepta juris minimè negligenda; eamq; adeò rigori antehabendam, quæ à jure informata sit, non quæ eidem repugnet: quippè cùm alioqui nihil foret vel certum vel perpetuum in jure nostro, si cuilibet caussarum statum ad quamlibet imaginariam ac temerariam æquitatem (quam cerebrinam vulgò vocitare solent nostri Doctores) detorquere liceat. Quin ut maximè æquitatis vis in benignitate cernatur, non is tamen perpetuus ejus finis est: magis quippè ad justitiam, quàm ad lenitatem respicientis, nec tàm ad mitigationem legis, quàm indagationem tuitionemq; voluntatis ejus, atq; adeò alterutrî suadente caussâ, minimè refugientis severitatem: ne patescat alioqui circumveniendæ sive fraudandæ Legis occasio. Ut rectè Celsus noster scripserit, siquidem cum claris-

Jo. Gars. d. expens. c. 1. n. 28 Heig. p. 1. c. 37 n. 11. & 12. Hering. de fidejuss. c. 5. n. 116. & seqq.
l. si quis ... §. 1 qui & à quib. manum. l. si quis adulterium. 33. §. 1. ad l. Jul. de adulter.

rissimo Tuldeno, *quà* non *quò* legere liceat: *Benigniùs interpretandæ sunt leges, quà voluntas earum conservetur*, id est, quatenus voluntas earum patitur. *Tulden. d. tract. lib. 1. cap. 8.*

5. Conservavit idem nobis peculii definitionem, quam Q. Tubero tradidit, teste Ulpiano & ipsomet Celso: juxta prudens illud dictum senum rusticorum, quos sæpè dicentes audierit Proculus, *pecuniam sine peculio fragilem esse*, hoc est, bonum Patremfamilias debere præsidii caussâ aliquos nummos seponere, ne omnia in quotidianos usus eroget, sed aliquid comparcat. Daß er nicht allein einen Mehr- sondern auch einen Noth und Ehrenpfennig haben möge/ ut Germani elegantèr exprimunt. Et rusticos ergò & senes in sententiâ Proculus adduxit: idq; haud malè, vel frustrà. Quemadmodum enim *οἱ ἄγροικοι μάλιστα γνωμότυποι εἰσὶ καὶ ῥᾳδίως ἀποφαίνονται*, Philosopho dicente, ut proindè à Criticis quibusdam malè notetur Virgilius, quod eclogâ secundâ sententiam rustico attribuerit, *l. 5. & 6. d. pecul.* *l. si chorus 79. §. 1 d. l. gat. 30* *C. Rittersh. comm. ad l. 23. d. reg. jur. c. 17.* *Arist. Rhetor. 2.* *Alb. Gentil. lect. Virgil. c. 2.*

— *Trahit sua quemq́; voluptas:*

ita senes ad rem sunt attentiores, quòd compertum habeant, quàm difficilis sit rerum acquisitio, quàm facilis jactura.

6. Proprium ferè hoc Celso esse, ut à verbis & sententiâ legis propter speciẽ æquitatis haud temerè recedat, esseq; in ridendis adversariis satis multùm, Joachimus Hopperus JCtus & Eques Auratus, æternum Frisiæ decus, in suis ad Pandectas libris notavit: neq; sicco ipse pede præterie- *Hopp. ad Pand. juris civil. lib. de Jureconsultis pag. mihi 134.*

D

terierim, veritatis indagandæ tantopere Celsum fuisse studiosum: ut amore illius à patre etiam suo divortium aliquando facere non dubitaverit. Testis hujus rei Ulpianus verbis, quæ sequuntur: *Sed si servus, qui testamento heredi jussus erat dotem dare & liber esse, codicillis purè libertatem accepit, & id ignorans dederit heredi dotem, an repetere possit: & refert Celsus, patrem suum Celsum existimasse, repetere eum non posse. Sed ipse Celsus, naturali æquitate motus, putat repeti posse, quæ sententia verior est.* Ingenua utiq; & laude digna in filio libertas: cujus eximium quoq; nobis exemplum suppeditat autor eximius Polybius: historiam fœderis inter Ptolemæum Ægyptium & Achæorum Remp. renovati, sed in quo tanti momenti negocio gravissimum peccatum Philopœmenes & Lycortas commiserant, ita narrat, quasi de hominibus loqueretur nullâ notitiâ sibi conjunctis: qui tamen hujus erat filius, illum parentis loco semper coluerat. Sed memor vir summus legis à se historicis rogatæ, maluit in historiâ veritatis amicum se probare, quàm φιλέφιλον aut φιλοπάτορα. Adeò nunquàm non, ut præclarè dixit Aristoteles, cùm de ideis adversus Platonem ac Socratem sententiam dicturus tribunal adscendisset, ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν: & quod magnus inquit Scaliger, *veritatis splendorem quovis nomine chariorem habere debemus.*

l. 3. §. 7. d. cond. caus. dat.

Isaac. Casaub. in Polyb. hist.

Nicomach. l. 1. c. 6.

Ac-

Acceptus Plato; Socrates amicus:
Sed gratissima veritas ubiq; est.

7. Scripsit Celsus libros Digestorum undequadraginta: Institutionum viginti: & Epistolarum tredecim. Quæstionum ejusdem liber primus, duodecimus, & nonus decimus, ut & commentariorum septimus citantur *in l. 1. d. reb. cred. l. 9. d. hered. instit. l. 19. §. 3. 12. 6. d. aur. arg. mund. legat.*

CAP. IIX.

1. PRISCUS JAVOLENUS, Cœlii Sabini in jure successor, D. Hadriani & T. Aurelii Antonini Pii temporibus floruit. Juliano antiquiorem fuisse, vel indè patet, quòd Julianus illum Præceptorem agnoscit & in Africâ ac Syriâ consilium præbuisse, & cum Imperio adeò præfuisse, quin ejus exemplo se quoq; & in præturâ & in consulatu suo quosdam ex servis suis vindictâ liberâsse, ac quibusdam Prætoribus consulentibus idem svasisse testatur.

2. Meminit & Javoleni Plinius in epistolis, recitationibus non adhibendos nisi sanos esse, Voconium monens, exemplo Passieni Equitis Romani & imprimis eruditi: quem, dùm elegos legeret, intempestivè aut fuisse interpellatum à Javoleno, dubiæ sanitatis homine, sed qui tamen officiis & consiliis adhibitus fuerit, atq; etiam jus civile publicè responderit: eoq; magis, quod tunc fecit, & ridiculum & notabi-

le fuisse. At enim cui mortalium ità superi indulserunt, ut non interdùm, si minùs sæpè, aliud agat, aut malè agat? Nemo adhuc, ipso etiam Plinio reste, exstitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur: nemo homo natus omnibus horis sapit, ut alterius est Plinii assertio: ac præclarè dixit, quicunq; ille fuit, *Error sive stultitia si dolor esset, audires in omnibus ædibus clamorem.* Etiam in venustâ aliquâ facie verruca hæret, & commendat quandoq; formam potiùs, quàm destruit. Ita heîc est: nec ob nævum aliquem aut erratiunculam continuò mentis sanitas virorum doctissimo fuit deroganda: quem ut consulendo ac respondendo de jure, ità ô scribendo, multa quàm optimè de Jurisprudentiâ meritum fuisse constat.

3. Edidit enim præter libros decem ex posterioribus Labeonis, ut index habet Pandectalis, ex Cassio *βιβλία δεκάπεντε, ἐπιστολῶν βιβλία δεκατέσσαρα*, ad Plautium deniq; *βιβλία πέντε*. Quo quidem loco vel obitèr notandum, cùm in partes tùm temporis ob sectas & diversas prudentum scholas disciplina juris traheretur, cui quis autori nomen dedisset, ejus ut secta splendidior esset, utq; doctrina magis usui accederet, & in multis peccans quodammodò etiam corrigeretur, nobilissimos & doctissimos viros ad aurorum libros velut commentaria & castigationes confecisse, undè facilior ipsorum lectio, & res ipsæ evaderunt clariores. Nec desunt exempla talium scriptorum etiam in alia-

rum

rum ſcientiarum conditoribus, quorum nomina compendio recenſet in adverſariis ſuis Caſpar Barthius: ut deteratur opinio vulgaribus quibusdam diſputatoribus, qui libros JureConſultorum inſcriptos iis hominibus adſerere non dubitant, qui jam multò antè hinc in communem locum abierant. C. Barth. lib. 47 advers. c. 14.

CA. IX.

1. SALVIUS JULIANUS clariſſimam Inſubrum metropolim, quæ ſecunda Italiæ, velut Roma, Regum certè & Imperatorum aliquot ſedes fuit, Patriam habuit: nobili ibidem ortus familiâ: Didii Juliani (qui & ipſe inter claros Jurisconſultos nomen vindicavit, ſed poſt cædem Ælii Pertinacis anno ſexageſimo ætatis Imperator factus, eodemq; à Severo ſuperveniente, & vitâ & Imperio exutus fuit) proavus paternus: idemq; ſummus juris autor: id quod nobilitatem ejus duplicavit, ac longè auguſtiorem reddidit. Spart. in Hadrian.

2. A Priſco Javoleno* ſcientiam civilem hauſit, ejusdemq; cum illo ſectæ ſive ſcholæ fuit. Ut mirum ſit, à magno viro in Proculejanorum numero cenſeri: etſi ſanè infrequens non eſt, ut à Caſſianis diſſentiat, & ad Proculejanos acce- l. 1. rer. ad

* d. l. 5. d. magn. stud. Donell. 7. comm. 25. l. 1. §. ſi cohæredu 14 ac mos. l. 11. Feind.

jurid Mercer. in con- ... l. 4. Vuldecc. ad l. 2. d. præ- ... thes. 17.

dat: sicut aliàs etiam, qui ejusdem scholæ fuerunt, dissensisse tamen in nonnullis constat.

3. Hadriano Imperatori, Romanorum principum non postremo, eidemq; ob eruditionem ac poëm (uti testantur post plurima æternitate dignissima monumenta, sed quæ injuria temporum oblivioni dedit, versiculi perpauci, delicati illi satis atq; arguti, dimetri præsertim elegantissimi, d animam fugientem ab animam jam ageate, ut creditur, facti) haud ilia idato, in consiliis, cum judicaret, adsedit: autoreq; illo, ut perpetua extaret, juris dicundi ratio, nec Magistratus potestate suâ, figendo ac refigendo abuterentur, inclinante nonnihil pristinâ prætorum autoritate, Servium Sulpitium & Aulum Ofilium seqvutus, omnia prætorum edicta vagè dispersa, circiter annum Epochæ Christianæ CXXXIV. collegit, in ordinem digessit, inq; certos titulos sive capita (de suo etiam quibusdam adjectis, quæ nova edicta & novæ clausulæ in libris nostris nominantur) distinxit. Quod quidem opus ita concinnatum, & autoritate Imperiali munitum, PERPETUUM EDICTUM vocari, Papinianiq;, Ulpiani, Paulli, Caji, Scævolæ, & aliorum, qui post ea tempora vixère, Jureconsultorum commentariis, quos elegantissimos fuisse reliquiæ illæ in Digesta relatæ satis arguunt, ex æqui boniq; arte illustrari meruit.

l. 2. § sed quia divina ... jur. enucl.

l. c. § si mulier prægnante de ventr. in possess. l. 3. c. ... quomodo eum emanc.

4. Claruit autem Julianus haud sub Hadriani modò, sed & Antonini Pii imperio: immò

&

& ſucceſſorem ejus, qui paſſim in jure noſtro Divi fratres audiunt, M. Aurelii Antonini Philoſophi, & L. Aurelii Veri: quibus familiarem fuiſſe textus legis decimæ ſeptimæ de jure patronatûs, in quâ Imperatores ipſi amicum eum & clariſſimum virum adpellant, abundè convincit. Qvin* immò ſunt, qui ad Commodi usq; Cæſaris tempora perveniſſe, interq; multos principes viros non aliam ob cauſſam, quàm quòd vir bonus tyrannicis ejus conſiliis fortiter reſtiterit, cæſum fuiſſe, & in viâ Labicenâ milliari ab urbe quinto ſepultum tradant.

5. Præturæ & Conſulatus ſui (quem bis geſſit, ſi Spartiano major fides, quàm faſtis conſularibus, in queis ſemel duntaxat anno U. C. cIↄCCCC. unà cum Bellic. Torquato ad hunc honorem veniſſe legitur) meminit ipſe in lege quintâ de manumiſſis vindictâ: urbis inſuper Præfecturam meruiſſe, eandemq; præclarè adminiſtrâſſe exiſtimatus.

6. Honorificam ejus diverſis Conſtitutionibus mentionem facit Legislatorum Coryphæus,*Iuſtinianus Imperator: modò *legum & edicti perpetui ſubtiliſſimum conditorem*, modò *omnium juris conditorum, qui olim floruerunt, prudentiſſimum*, alibi *ſubtiliſſimum teſtem*, *ſummæ autoritatis hominem*, & *prætorii edicti perpetuum ordinatorem*, denique *ſum-*

* Jac. Bourc. lib. ſing. ad Pandect. p. mihi 35. Val. Forſter. l. 2. hiſto. jur. civ. Rom. c. 78. n. 3.

* d. l. 2. §. 18. C. de vet. jur. enucl. Conſt. Dedit nobis DEUS C. eod. l. 9. C. d. cond. indeb.

l. inter annos 5. C. de usur.

mum juris scientiæ autorem appellans. Cumprimis verò notabilis locus extat in prooemio Novellæ quartæ ac septuagesimæ: ubi Imperator rectè dictum esse ait à prædecessoribus suis, & ante omnes à Juliano sapientissimo: *quia lex nulla neq; Senatusconsultum prolatum in Rep. Romanor. videtur ad omnia sufficientèr ab initio promulgatum, sed multa indigere correctione, ut ad naturæ varietatem, & ejus* ἐπιτεχνήσεις *sive machinationes sufficiat.*

l. 10. 11. 12. d. legib.

Ea nimirùm legum omnium natura & conditio: quòd non possint ita scribi, ut omnes casus, qui quandoq; incident, complectantur, eodem Juliano teste: ipsaq; adeò rerum humanarum instabilitas & mira varietas sæpè flagitat, ut novis condendis legibus sit opus. In quam sententiam sapienter ac verè Ioh. Tzetzes. ἀεὶ νόμοι γὰρ καὶ τὰ πάντα τοῦ βίου τρεπτὴν φορὰν ἔχουσι, καὶ καινοὶ καινοῖς γίνονται καθ' ἡμέραν. h. e. *semper leges & omnia vitæ humanæ negotia mutabilem habent conversionem, & fluxa sunt, & nova novis superveniunt quotidiè.* Nec inscitè jam olim Androcles Pithius: qui obstrepenti sibi populo Atheniensi, quòd legem quandam reprehendens νόμον νόμου διορθώσαντος δεῖσθαι diceret, subjecisse scribitur: *Atqui & pisces etiam in salso mari educatos indigere tamen sale, ut condiantur, quomodò & olivas, quæ sine oleo non adserventur. Sic ergò & leges legibus emendari debere.* Leges puta juris positivi: quòd perpetuo rerum humanarum fato non minùs quàm alia hominum opera

pera ſuis vicibus & mutationibus obnoxium eſſe negari nequit: quandò ipſa etiam Imperia, quamvis ſancta, quamvis θεοφρόρητα, ſuas periodos & mutationes habent non exiguas.

7. At enim cautio adhibenda, ne evagetur hæc licentia. Magnorum nempè virorum iſtæ ſunt cogitationes, & talium adeò arbitrium eſſe convenit, non pasſim cujusvis: ut olim Athenis Nomothetarum, & qui antè jurejurando heliaſtico eſſent obſtricti, quod Ulpianus oratione in Leptinem tradit. In reliqvū ſapientibus viris & res agentibus fixum eſſe debet, ἀκίνητα μὴ κινεῖν. nec leges ob id ſemel receptas facilè antiquandas. Omnis mutatio in Rep. pernicioſa: ſed pernicioſisſima legū. Ut proindè in rebus novis *l. 2. de con-* conſtituendis evidens omninò utilitas eſſe de- *ſtit. princ.* beat: ab eo ut jure, quod diu viſum eſt æqvum, recedatur. Ea ſi deſit, haud dubiè ſatiùs fuerit, *Ariſt. 2.* etiā abſurda quædam tolerare: præcipiti quàm *polit. 6. pro-* mutatione Reip. cardinem movere. Id quòd *pè finem.* alicubi divinus Plato diætæ exemplo elegantèr probat. Medicum itaq; Politicus agat in Reip. corpore: non facilè inibi aliquid mutet contra legem aut conſvetudinem receptam: non facilè purget: naturam juvet, non mutet: cum Cleone nimirùm apud Thucydidem ſic perſvaſus, *meliorem eſſe civitatis formam, qvæ deterioribus, modò firmis, notisq; regitur legibus, quàm quæ bonis inconſtantèr utitur.*

8. Reliquit Iulianus Ingenii & Doctrinæ ſuæ monumenta, præter Edictum, Digeſtorum

libros quatuor minimùm & nonaginta, ad Minutium libros decem: ad Ursejum Ferocem libros quatuor: de ambiguitatibus deniq; librum singularem.

Cap. X.

1. T. CAIUS, Iureconsultus exquisitissimus, Hadriano imperante jam tunc vixit: cui rei contra illos, qui vel antiquiorem vel recentiorem faciunt, probandæ testis ipsemet, suâ ætate, inquiens, Serapiam Alexandrinam mulierem ad D. Hadrianum perductam fuisse, cùm quinq; liberis, quos uno fœtu enixa fuerat. Supervixisse autem, ac sequentium Imperatorum temporibus floruisse, cùm ex multis aliis locis, quibus Antonini Pii, Hadriani successoris rescripta citat, tùm ex lege nonâ ad SC. Tertullianum adparet: cujus inscriptio Cajum hunc nostrum ad SC. Orphitianum, quòd liberos ad bona matrum intestatarum admittit, M. Antonini Philosophi, quem in eâ lege sacratissimum Imperatorem nostrum vocat, ætate, Cornelio Scipione Orfito & M. Vettio Rufo Coss. promulgatum, scripsisse testatur.

l. rerum. 7. in fin. pr. de reb. dub.

l. 63. § 1. ad Treb. l. 11. de jurisd.

pr. instit. d. SC. Orphit.

2. Alius ergò ab hoc fuerit oportet Cajus Cassius Longinus, quem Servii Sulpitii pronepotem fuisse, ac temporibus Tiberii unà cum M. Vinucio Quartino Consulem, magnæ in civitate autoritatis, eò usq; donec eum Cæsar in

Sar-

Sardiniam expelleret, sed undè revocatus à Vespasiano diem obierit, Pomponius testatur, etsi id fide parùm historicâ: quippè cùm Justus Lipsius, vir, dum vixit, inter doctissimos & seculi nostri miraculum, egregiâ disputatione demonstret, non Cajum JCtum sed L. Cassium Longinum cum Quartino ([illegible] sulem fuisse: haud negans interim, Cajum [illegible] sium JCtum in honore habitum sub Claudio, a Nerone pulsum, restitutum per Vespasianum.

Lips. comment. ad annal. Taciti.

3. Composuit noster, quibus prodesse posteritati studuit, libros complures: ad edictum provinciale triginta duos: quindecim ad leges: ad edictum urbicum decem: aureorum sive rerum quotidianarum septem: δωδεκαδέλτου sive ad leges duodecim tabularum sex: de verborum obligationibus tres: de manumissionibus totidem: duos fidei commissorum: duos ad edictum ædilium curulium: de casibus unum: regularum unum: dotalium sive dotaliciorum unum: ad formulam hypothecariam unum: de tacitis fidei commissis unum: ad SCm Tertullianum unum: ad SCtum Orphitianum unum: ad legem Gliciam unum: Institutionum deniq; (sic vocantur scripta, quibus prima elementa docendæ alicujus artis aut scientiæ ita concluduntur, ut rudis aliquis per gradus ad ejus cognitionem pervenire possit,) libros quatuor, in Scholis ante Justinianum doceri, & à Grammaticis ob id veteribus, ut Prisciano, Servio in tert. Georgicorum, nec non Boëtio in Topic. Ciceronis adduci solitos, quos maximè

ſecutus Tribonianus in Inſtitutionibus Imperialibus componendis.

4. Eaq; ipſa cauſſa eſt, cur *Cajum noſtrum* vocet Iuſtinianus, tàm in prooemio Inſtitutionum, quàm ſub titulo de publicis judiciis, itemq; prooemio Digeſtorum: non quòd aut Iuſtiniano familiaris fuerit, aut ipſius ætate vixerit. Quanquam & illos ferre poſſumus, qui ex amore, quo Caji memoriam proſecutus fuerit, τὸ *noſtrum* interpretantur: aut quia ipſe quoq; Iureconſulti non tantùm autoritatem & dignitatem, ſed & nomen apertè venatus fuerit. Sic enim *noſtros* vocabant, qui ejusdem diſciplinæ aut ſectæ: quomodò & Pomponius in l. penult. de ſtipul. ſerv. *Gajus noſter*: nec rarò Paullus & Triborianus, *Scævola noſter*.

Chriſt. Coler. parerg. 10.

5. Exſtant hodiè duo libri Inſtitutionum Caji nomen præ ſe ferentes: ſed ii non ſunt γνήσιοι, ſed per Anianum, Alarici Gotthorum Regis Conſiliarium, in epitomen contracti, quod vel ex eo patet, quia mentio ibi manumiſſionis factæ in Eccleſiâ, quam Cajus nunquàm agnovit. Nec verò omnis tamen propterea Cajo in iis dignitas & eloquentia deperiit. Reſtant inter lateres Aniani malè coctos (ſic ſcribente Cujacio) adhuc lapilli quidam, ſi quis non pigretur internoſcere: è quibus velut è culmo fruges, & luculentiùs, ſi reliquias eas adjunxerit, quæ Pandectis inſperſæ ſunt, quæque Iuſtiniani inſtitutionibus leguntur, quanti momenti, ponderis, artificii Caji inſti-

Cujac. præfat. ad Cod. Theodoſ.

tu-

tutiones fu[e]rint, æstimari possit. Aliorum quorundam ejus librorum meminit Imperator in allegato Digestorum procemio.

CAP. XI.

1. AFRICANUS Jureconsultus eruditione ac sapientiâ præstantissimus, Papiniani quidem discipulus à Lampridio annumeratur: sed quē tamen sunt, qui ad Hadriani imperium rectius referunt; eum ipsum opinati, quem & Ulpianus, memorans: illum Legem Iuliam de adulteriis ad omnia matrimonia retulisse, inq; eam rem facetum illud Achillis ex Homero usurpâsse, *l. 13. §. 1. ad l. Jul. de adulter.*

ὀ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεῖδαι: id est,
Atridæ haud nuptas soli amplectuntur amore,

& veteri juris autores, itemq; Agellius Sext. Cæcilium vocant. Moventur *lege tertiâ* §. *IV. d. agnosc. lib.* ubi tradit idem Ulpianus, Iulianum Sexto Cæcilio Africano respondisse: Africanum autem per epistolam Iulianum consuluisse, patet ex lege nonâ ac vigesimâ, de legatis primo. Solebant nimirùm (quo tempore aberat à probis viris, quamvis æqualibus invidia, nec erubescebat alter ab altero, quod sciret, appetere) prudentes quoq; se se invicem de jure consulere: ut Proculum Atticilinus, ut Modestinus Ul- *Agell. lib. 20. c. 1.* *l. 17. de pact. Dotal.*

l. 52. §. 20. de furt. l. 4. quib. ad lib. prov. non lic. l. 22. ad leg. Falcid. l. 27. qui test. fac. poss.

Ulpianum, ut Paullum Rufinus, itemq; Nesennius Apollinaris, his illum verbis alloqvutus: *Ex facto, Domine, species hujusmodi incidit:* ut deniq; Domitius Labeo Cellum, sed qui aut non intelligere se respondit, de quo consultus fuerat, aut validè stultam esse consultationem, dubitantis ac quærentis de eo, quòd dubitationem non haberet. Atq; hoc quidem argumento Lamprido fidem nostri abrogant, & Africanum Juliano æqualem, immò discipulum ejus facere conantur: à quibus ipse eò minus dissentio: quòd Iuliani autoritate Africanus utatur frequentissimè; aliorum autem, puta Servii, Atticilini, Melæ, Fufidii, non nisi rariùs. Et verò qvum, quòd sæpè facit, ità simpliciter scribit, *Ait, Existimavit, Negavit, Putavit, Inquit, Respondit, Placet, Notat*, non de se ipso Africanum, sed de Iuliano intelligere, atq; adeò planè videri hunc illi esse pro oraculo, ut illis Pythagoras respondentibus αὐτὸς ἔφα, vel, ut Accursius ait, *pro magistro*, deniq; Africanum, quantus quantus est, Iuliani discipulum esse, Cujacio asserenti haud difficulter crediderim.

Cujac. 7. obs. 2. & in præf. tract. ad Afric. Eberlin. de orig. jur. c. 8. n. 21.

Cujac. in d. præf. arg l. tutor. 19. §. ult. ad SC. Vell. l. & hæc. 35. §. 1. locat. l. 61. de furt.

2. Citat eundem Ulpianus sub Africani quidem nomine *in l. XLV de act. empt. l. II. §. VIII ad SC. Tertil. l. XXXIX de legat. 1.* sub Sexti autem, haud solùm in *lege XXXII eodem titulo de legatis primo*, sed & in *L. V. §. XXVII de SC. Silaniano*: ubi tamen Græci videntur legisse *Servium*, nempè Sulpitium.

Un-

Undè quidem Hotomannus vir magno ingenio, ſed in emendandis legibus minùs felix, Senatus conſultum illud Auguſto antiquiùs eſſe ſuſpicatur. Neque verò ſilentio prætermittendum præclarum illud Romanorum ob fidei obſervantiam elogium, quod ex ore Sexti Cæcilii tribuit ipſis A. Gellius: *Omnibus*, inquit, *virtutum quidem generibus exercendis colendisq; Populus Romanus è parva origine ad tantæ amplitudinis inſtar emicuit: ſed omnium maximè atq; præcipuè fidem coluit, ſanctamq; habuit, tam privatim, quàm publicè.* Probatq; id exemplis in verbis ſequentibus: *Sic Coſſ. Clariſſimos viros hoſtibus confirmandæ fidei publicæ cauſâ dedit: Sic clientem in fidem acceptum cariorem haberi, quam propinquos, tuendumq; etiam contrà cognatos cenſuit: neq; pejus ullum facinus æſtimatum eſt, quam ſi quis probaretur, clientem deriſui habuiſſe. Hanc autem fidem majores noſtri non ſolùm in officiorum vicibus, ſed in negociorum quoq; contractibus ſanxerunt, maximèq;, in pecuniæ mutuatitiæ uſu atq; commercio. Adimi enim putaverunt hoc ſubſidium inopiæ temporariæ, quo communis hominum vita indiget, ſi perfidia debitorum ſine gravi pœnâ eluderet.* d. c. 1. l. 20.

3. Scripſit epiſtolarum apud Iulianum (ſic enim Ulpianus allegat) minimũ viginti, quæſtio- l. 39. de leg. 1.

num

num autem libros novem: undè quidem, quæ deprompta leguntur responsa, plerumq; sunt obscura: ut Africani legem proverbio dicamus, quando rem difficilem & intricatam dicere cupimus. Ex libro V. quæstionum desumta est inter alias lex octuagesima octava ad l. Falcidiam, quæstionem proponens τῶν ἀπόρων, qui tractatus apud Dialecticos τὸ ψευδόμενον dicitur, cujus & apud Tullium, Senecam, Qvintilianum, Augustinum, & alios mentio: ubi nimirùm quicquid constituerimus verum esse: falsum reperitur, ut ait eo in loco Africanus. Qui quidem mirum quantoperè in illâ ἀπορίᾳ laboret & æstuet: sed quam tamen leni negocio dissolvi posse docuit V. Illustris. Marquardus Freherus, Patric. Aug. Vindel. JCtus Consiliarius Archi-Palatinus, & Curiæ Electoralis Præses vicarius, in decisionibus Areopagiticis.

Usq; adeò quandoq; bonus dormitat & Afer.

In universum autem ex novem illis Quæstionum libris leges habemus sparsas in Pandectis CXXX. quas magnus ille Cujacius, judicii vir acerrimi, Aquila Jurisconsultorum, in unum coadunavit, ac novem tractatibus, non minùs elegantibus, quàm utilibus, explicavit. Disputationum suarum ad eundem meminit Scipio Gentilis commentario in Apulcji Apologiam: sed quas mihi haud dùm videre contigit.

4. Recentior eò multò fuit Africanus ille caussarum patronus Valentiniani Imperat. jussu capite truncatus, de quo Ammianus Marcelli- Lib. 29. libro.

nus

nus in hæc verba scribit. *Africanus caussarum in Urbe defensor assiduus, post administratam Provinciam ad regendam aliam adspiravit, cujus suffragatori magistro equitum Theodosio id petenti subagresti verbo* (Valentinianus) *responderat. Abi*, inquit, *comes, & muta ei caput qui sibi mutari provinciam cupit. Et hoc elogio periit homo disertus, ad alia festinans, ut multi.*

CAP. XII.

1. TEBURNIUS VALENS, majorum gentium Jureconsultus inter Antonini Pii Consiliarios refertur à Julio Capitolino. Quòd si is ipse est, ut esse credit V. CL. Guid. Pancirola, ad quem Severus & Antoninus rescripsere *in lege tertiâ. C. de edendo* recentiorem aliquantò, aut certè *μακρόβιον* admodùm fuisse necesse est. Edita quippè ea lex Severo III. & Antonino. A A. Coss. Is autem annus *τῆς τοῦ χριστοῦ ἐπιφανείας* quartus ac ducentesimus: ab excessu Antonini Pii primus & quadragesimus: quo ipso nimirū Severus Imp. promulgavit edictum quintæ, ut vult Orosius, sed sextæ, ut Sulpitius, in Christianos persecutionis: in quâ præter alios Leonides, pater Origenis, gloriosâ martyrii morte ex hâc vitâ translatus est, ipso filio adhuc adolescente parentem exhortante per literas ad martyrium alacritèr subeundum.

Pancir. thes. variar. lect. lib. 1. c. 39.

2. De scriptis Valentis nihil index Pandecta-

rum laudat præter libros fideicommissorum septem: è quibus & fragmenta quædam iis inserta. Ex libro septimo Actionum sumtam esse legem *XV. ut in possess. legat.* docet inscriptio. Citatur ter a Paullo JCto sub titulis, de legatis, secundo & tertio, nec non de fideic. libertatibus.

Cap. XIII.

I. VOLUSIUS MÆTIANUS, illustri dignitate & famâ Jureconsultus, eidem Antonino Pio, cum multis aliis præclaris viris, quorum operâ usus Imperator, de jure multa sanxit, in consilio fuit: idemq; magnæ apud Successores illius Divos Fatres, cumprimisq; M. Antonium Philosophi (quòd suprà alios in eo studio deditus esset, Stoicam sectam, ac libris etiam scriptis, è quibus Eclogæ quædam ad nos venerunt, eruditionem suam professus) cognomine clarum, qui eo Præceptore & Magistro usus, autoritatis: quemadmodùm ipsimet testantur Imperatores in nobili rescripto, quod ab Ulpiano refertur verbis hujusmodi. *Comperimus à petitoribus dubitatum aliqvandò, an nepos contra tabulas avi liberti bonorum possessionem petere possit, si eum libertum pater patris, cum annorum viginti qvinq; esset, capitis accusasset; & Proculum sanè non levem juris autorem in hac opinione fuisse, ut nepoti in hujusmodi causâ non putaret dandam bonorum*

l. Divi fratres 1. d. jur. patron.

pos-

possessionem, cujus sententiam nos quoq; secuti sumus, cum rescriberemus ad libellum Pessiaiæ Lerginæ. Sed & Volusius Mæcianus amicus noster, ut & juris civilis præter veterem & benè fundatam peritiam anxiè diligens, religione rescripti nostri ductus, sicut coràm nobis adfirmavit, non arbitratum se alitèr respondere debere: sed cum & ipso Mæciano, & aliis amicis nostris Jurisperitis adhibitis plenius tractaremus: magis visum est, nepotem neq; verbis, neq; sententia legis, aut edicti prætoris, ex persona, vel nota patris sui excludi à bonis avi liberti, plurium etiam Juris autorum, sed & Salvii Juliani, amici nostri, clarissimi viri hanc sententiam fuisse.

2. Quo quidem ex loco sicut juris etiam callentissimos errâsse aliquandò, camq; ob caussam variâsse discimus; ita illud quoq; (ne quid heic dicā de usitatis nunc fori disputationibus, quoties gravis aliqua & perplexa juris incideret quæstio, aut de antiquitatis studio ab ipsis Impp. insignitèr prædicato) vel maximè observari debet, in quantâ gratiâ atq; autoritate haud modò Mæcianus, sed & alii Jureconsulti apud Augustos fuerint. Neq; enim exigua hæc bonorum Principum erga suos administros & consiliarios comitas: quod *amicos* etiam suos salutârunt. Quippe cum alioqui, Philosopho docente, nisi inter pares amicitia esse nequeat. Sic Alexander Imp. Ulpianum Præfectum tunc annonæ: sic Severus & Antoninus Fabium Chilonem Præfectum Urbi; sic Divi Fratres Iunium Rusticum *l. 4. C de contrah. & commit. stipul.* *l. ult. d. of- fic. præf. vig.*

l. 1. §. ... ep. ... l. 4. C. ... jur. & ... ... Pr. ... ter. l. ... in ... Traj. & Plin. ad ... epist. 16. & 17. l. 4. C. de ... eat. Nov. 112 in fin. Nov. 1... in fin.

itidem Urbi Præfectum; sic provinciæ rectorem, etsi anonymam, Diocletianus & Maximianus, sic deniq; in Epistolis Plinium Trajanus, amicos suos vocitant: more Galliarum Regibus etiamnum usitato, quorum in rescriptis & epistolis illud passim legas: *A nos amez et feaux conseillers.* Solebant quoq; eosdem, honoris caussâ, amabilissimo & pientissimo vocabulo *patres* sive *Parentes* suos nominare, ut Ulpianum Alexander: ut Theodotum Orientalium Prætorio Præfectum Justinianus: ut Nero ipse fortissimum ac fidissimum sibi Ducem Domitium Corbulonem, sed quem tàm præclarè meritum tandem occidit: ut Theodosius & Valentinianus Impp. Præfectum suum Prætorio, his ad illum verbis usi: FLORENTI, *parens charissime, cui familiare est benè placere Principibus; Divinitas te separet multos annos, parens amantissime*: ut deniq; Ausonium Poetam, eundemq; virum Consularem idem ille magnus Theodosius, epistolâ ejus operibus præfixa: sed quam tamen spuriam esse, & nugas fictitias ambitiosi alicujus nimiùm feriati ingenii, paullò cautiùs elimatas, ità ut & summorum virorum acumina perstringere potuerit, vir admirandæ lectionis, doctrinæ ac judicii Casp. Barthius * censet, multisq; adeò argumentis mihi tantùm non persvadet. Frequentissimè autem appellabant

* Barth. l. 12. advers. c. 12. & lib. 20. c. 18. & lib. 50 c. 3. l. 8 §. 3. d. legat. 2. l. 1 §. 10. de quæst. l. 6. ad P. Jul. de vi publ. ... C. de ... ex publ. coll. ... lib. 10. v. Fancirol thes. var. lect. lib. 1. c. 76. Freher. lib. 1. parerg. c. 6.

fi-

ſibi chariſſimos; id ipſum haud rarò in reſcriptis atq; edictis ſuis per literas ſingulares ſeu notas K. N. h. e. *cariſſime nobis* indicantes: cujus rei plurima occurrunt in Conſtitutionibus & Novellis multorum Imperatorum exempla. Usq; adeò ſeſe de magnitudine ſuâ & celſitate quaſi per *συγκατάβασιν* demittebant. Ut habeant heic viri principes & Politici, quod diſcant, quodq; imitentur, memores aureæ ſententiæ aurei illius Patris: *Sublimium maximam eſſe gloriam quàm maximè ſe ſubmittere:* illudque adeò veteris præcepti, ut quantò quisq; major eſt, tantò ſe ſubmisſius gerat. Chryſoſt. hom. in Matth. Cic. 1. de offic.

3. Laborum ſuorum poſt ſe teſtes reliquit Mæcianus Fideicommiſſorum libros ſex decem: quatuordecim Publicorum, ſive de publicis judiciis: nec non librum ſingularem de Aſſe, ab iis, qui de re numariâ ſcripſere, laudari ſolitum. Ex lege ejus Rhodiâ, (ſic Romanis dictæ leges *αἱ περὶ τὰ ναυτικά*, eò quòd Rhodii benè conſtitutam haberent Rempubl. cùm in aliis, tùm in iis, quæ ad res nauticas pertinent) ſumta eſt *lex nona de leg. Rhod.* liber autem quæſtionum laudatur à Papiniano in *l. 86. de acquir. vel omittend. hered.* Ejusdem nominis JCtum Papiniani diſcipulum & Alexandri Imp. familiarem fuiſſe Lampridius tradit: quem tamen ex temporum ratione alium ab hoc noſtro, & forſitan filium ejus, conjicere liceat. Strab. l. 14. Geograph.

CAP. XIV.

1. ULPIUS MARCELLUS Marciani σύγχρονος & Collega: Capitolino quippe teste in eorum prudentum numero, quos Antoninus Pius consiliis suis adhibuit, & in curarum partem adscivit. Longiùs autem ævum duxisse, ac Divorum quoq; fratrum imperium attigisse, ipsomet Marcello autore doceri potest: cum sententiam alleget Imperatoris Antonini Augusti, Pudente ac Pollione Consulibus: quos Consules fuisse constat anno Imperii Divorum fratrum sexto: eo ipso nimirùm, quo Romæ isti de Parthis triumphârunt. Ut proindè judicium politissimi alioquin Politiani, qui eum ad D. Hadrianum relegat, ex ædilitio edicto minimè heic sanum integrumq; jure merito pronunciavit Iohannes Bernartius de utilitate legendæ historiæ libro secundo. Quin immò & sub Commodo, qui mortuo A. C. CLXXXII. Sirmii in Pannoniâ Patri successit, sed honesta omnia post voluptates habuit, eundem adhuc vixisse, Dionis historia testatur: si modò is est, de quo ibi legere memini, ut ne pane repleretur, eum Româ ad se jussisse exportari: ne nimirùm plus, quàm esset necesse, posset propter vetustatem concedere.

2. Oriundus non nemini creditur ex nobili Marcellorum familiâ: quæ sicut complures Con-

Consules genuit & in his M. Claudium Marcellum, quinquies Consulem: qui caso in acie Viridomaro Gallorum Insubrum rege tertio opima spolia relata Iovi Feretrio suspendit: Syracusas in Siciliâ pro-Consul cepit: Hannibalem primus locorum angustiâ adjutus vinci docuit: sed hujusdem tandem insidiis deceptus occubuit, ac magnificè sepultus fuit: ita Marcellum quoq; illum tulit Octavii Augusti Imp. ex Octavâ sorore nepotem, generum, ac filium adoptivum: de cujus immaturâ morte videndus Dio libro tertio & quinquagesimo, & ex eo Xiphilinus in Epitome de Augusto ægroto. Unde quidem non dubito, quin sequens Epigramma Ianus Gulielmus, Poëtarum Germanorum decus, concinnârit. *Plin. Sive* [illegible]

Musa tibi Augusto servato Roma fatetur
Debere; auratæ testis honos statuæ.
Felix ô, si itidem defendere cetera posses,
Nec tibi Marcelli balnea probra forent.
Jam sive error inest facto, seu terror heri is,
Culpa animi hoc, illo proditur ingenii.

Pertinent eodem versus Maroniani in fine sexti Æneidos: pro quibus, teste Servio, ab Marcelli matre accepit ducentena dena sestertia, quæ ex Eryc. Puteani calculo, æstimatione monetæ hodiernæ, quinquies mille ducentos ac quinquaginta Philippicos, sive bis ac quinquagies mille quingentos Regales, qui sunt tredecies mille centum, ac viginti quinq; Floreni constituunt. Cujusmodi quidem præmium quis

Poëtarum hodiè ſperare auſit? In ſingulos horum libros ſi quis nunc donet, quod tunc in verſus: is valdè ad liberalitatem inclinet. Itaq; ad divitias, ad opes quisquis primariò aſpirat, omittat hanc operam licet, leviùs & citiùs aliâ arte aſſeqvuturus.

l. 3. de his, quæ in teſt. del. ad quæ vide Ittid. Tel. din. de cauſ. corr. ind. & remed. lib. 4. c. 18.

3. Inter Leges, quæ ex ſcriptis Marcelli Pandectis inſertæ, notabilis admodùm eſt, quæ exſtat ſub titulo, *de his, quæ in teſtamento delentur*: illa quidem abundè oſtendens, tùm quàm expedita fuerit ratio diſceptandi judicādiq; lites penes Romanos, tùm quàm generoſæ fidei Conſiliarius noſter exſtiterit, qui coram Antonino Imp. in re dubiâ Fiſco favendum non putavit: *in re dubiâ*, inquiens, *benigniorem ſequi interpretationem non minùs juſtius eſſe, quàm tutiùs.* Ex ejus certè conſilio Imperator tunc ſententiam contra Fiſcum dixit: à Julio quoq; Capitolino hoc nomine laudatus, quòd in cauſſis compendii, id eſt, ubi de lucro & utilitate agebatur, Fiſco nunquàm faverit. Adeò nimirùm *Fiſci cauſſa ſub bono Principe ſemper mala eſt*, quemadmodum Trajanum Imp. dixiſſe refert Plinius in Panegyrico: nec putandus ob id, Modeſtino ajente, *delinquere, qui in dubiis quæſtionibus contra Fiſcum facilè reſponderit.* Quas quidem ſententias frequentèr Doctores allegānt, quando docent: quòd in dubio judicandum ſit contra Fiſcum de lucro contendentem. Et

l. non puto. de jure Fiſci.

l. 7. & ult. C. ne fiſc. vel Reſp. procur. alicui l. Impp. 34. de jur. fiſc. l. defenſionis 7. C. eod.

fa-

ſanè invidia atq; inquietudo Fiſci ipſis etiam legibus paſſim notata: contra quam tamen ſicut orare nos quidã docuerunt * *A manibus Fiſcalium liberet nos Dominus*, ſic ſe defendere bonâ fide nemo prohibetur: nec adeò prævalere illa debet ſuo momento, ut vel legem vel rationem vincat, quibus ipſe parere Fiſcus * jubetur.

** Guil. Benod. in reper. cap. Raynutius verb. mortuo itaq; teſtatore lz. 1. n. 141. Caſſan. in conſ. Burgund. rubr. & in pr. n. 4.*
** l. fin. C. de fiſcal. uſur. l. 10.*

4. Scripſit porrò noſter in uſum poſteritatis notas ad Iulianum Digeſtorum libros unum & triginta, ad leges ſex, ſingularem Reſponſorum, & quædam alia. Ex ſecundo ſanè libro Publicorum *l. 27. de his, qui not. infam.* ex primo autem de officio Præſidis *l. 43. de minor.* ſumtæ: citaturq; à Marciano in *l. 1. §. fin. ne de ſt. defunct.* liber ejus quintus de Officio Conſulis.

Cap. XV.

1. CLAUDIUS SATURNINUS Jureconſultus eruditiſſimus, ſub Antonino Pio, ut hujus ad illũ reſcripta oſtendunt, vixit, ac Romæ, autore Ulpiano, Prætor fuit: idem ille nimirùm, qui poſt Meneſtheum, Callimachum & Theophraſtũ libro de coronis eleganti compoſito, in marceſcibilẽ ſibi & æternã ipſe coronã texuit, verbis

l. 4. in pr. de legat. l. 1. §. 2. quib. rec. pign. oττ. non poſſ. l. 6. §. 7. mand. Guil. Pancir. theſ. var. lect. lib. 2. c. 159.

lib. de coronâ militis c. 7.

hujusmodi laudatus Tertulliano: *Piura quærentibus omnia exhibebit præstantissimus in hac quoq; materiâ commentator Claudius Saturninus. Nam est illius de coronis liber, & origines, & caussas, & species, & solennitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicui capiti invenias consecratum.*

l. 14. de pœn.

2. In jure civili de pœnis paganorum librum singularem edidit: eâ sibi indubiè ad scribendum materiâ delectâ: quòd delicta quædam pagano aut nullam aut leviorem pœnam, militi verò graviorem irrogant: puta quæ contra officium, professionem, ac decus militum admissa sunt: cùm ècontra, in quibus omnes æquè delinqvunt, graviùs pagani quàm milites puniri soleant. Excerpta ex illo libro & Pandectis inserta lex non nisi una invenitur, quæ est sub titulo *de pœnis* decima sexta: docta satis & elegans: nec modò maximum apud Græcos Oratorem Demosthenem: sed præcipuum quoq; Poëtarum allegans: sub cujus & finem memorabilis ista sententia legitur: *Nonnunquàm evenire, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur: quoties nimirùm multis personis grassantibus exemplo opus sit.*

v. Enenkel. Bar. de priv. milit. lib. 2. priv. 27.

3. Singularis quandoq; fuisse opinionis ex *lege primâ de Senatoribus*, notat Pancirola: indeq; factum, ut Baldus solitus fuerit Saturninos eos nuncupare, qui soli sunt in aliquâ opinione, quo quidem nomine & Bartolum aliquandò &

Ia-

Iasonem appellavit. Etsi magis tamen est: ut id proverbii genus longè antiquius esse credamus: idq; tractum à Saturno: qui & senex fuisse, & melancholicus atq; morosus fingitur.

CAP. XVI.

1. TERENTIUS CLEMENS inter temporis sui prudentes haud incelebris extitit: sed vix alio nomine nobis notus, quā quòd libros confecit viginti ad leges, sive potius, ut in Pandectis allegantur, ad augustam illam Reiq; publicæ perutilem legem Juliam & Papiam: à Cajo quidem Julio Cæsare, qui post bellum Africanum vehementèr exhaustâ urbe τῇ πολυπαιδίᾳ seu multitudini liberorum præmia proposuit, primùm rogatam, ab Augusto autem jam seniore, Papio Mutilo & Q. Poppæo secundo Coss. anno U. C DCCLXII. non tàm sancitam, quàm reductam: cujus quàm crebra & in priscis historiarum monumentis, & in juris civilis latifundiis occurrat mentio & commendatio, nemo ignorare potest, nisi cui aut rudior Thalia, aut Themis crudior labra rigavit.

2. Ex iis autem libris insertas Pandectis quinq; ac triginta leges, & in his undecies laudatum Julianum invenias: ut disciplinam hausisse ab eo suam Clementem hinc conjicere liceat: cùm præsertim nostrum etiam alicubi ap-

pel-

l. 6 de vulg. & pupill. subst. pellet, *sed hoc ità,* inquiens, *interpretari Julianus noster videtur.* Citatur à Pomponio in *l. XXII. de statu lib.*

CAP. XVII.

1. CERVIDIUS SCÆVOLA, homo sine controversiâ eruditissimus, atq; juris consultissimus, sub imperio viguit M. Aurelii Antonini, qui ut à Philosophiæ bonarumq; artium studio Philosophi cognomentum tulit, sic & suorum in iis præceptorum fuit amantissimus: usq; eò, ut illis osculum etiam priùs, quàm præfectis suis & Magistratibus præcipuis præberet, defunctorum autem imagines aureas in Cærario haberet, ac sepulchra adita, hostiis, floribus honoraret: Iureconsultos interim, quorum operâ feliciter utebatur, impensè colens: ut si quando solus in sententiâ adversus eos esset, dicere soleret: *Expedire potiùs, ut juxta illorum, nempè plurium amicorum sententiam faceret, quàm ut tot Sapientes ejus solius censuram & opinionem sequerentur.* Capitolin. l. 67. § fin. d. legat. 2.

2. Huic ergò prudentissimo ac juris religiosissimo Principi noster quoq; à consiliis fuit: L. Septimii Severi, posteà Imperatoris, in juventute moderator, nec non acutissimi Papiniani mystagogus 5. Præceptor. Quin non solùm imperante Marco vixisse, sed etiam defuncto illo sub Commodi dominatione libros suos Digestorum maxima ex parte confecisse, adeoq; ad Imperi- Labut. in Ind.

um

umSeveri pervenisse haud improbabilitèr Henricus Heideccius.

Heideo. ad l. 5. d. præscr. verb. thes. 25.

3. Modestinus Herennius libro quarto excusationum illum unà cum Paullo & Ulpiano inter principes seu vertices legum prudentum, τοὺς τῶν νομικῶν κορυφαίους numerat: eundemq; Theodosius Imp. in quarto sui Codicis libro prudentissimum Iureconsultum appellat.

l. 13. §. 2. d. excus.

4. In responsis juris eam semper cautionem adhibuisse legitur, ut jus ad facti speciem qualitatemq; accommodaret. Quod etsi prudentibus antiquis omnibus commune: Scævolæ tamen multò familiarius: cujus elegantissima quædam responsa clausulam illam habent hodieq; in sententiis receptam, *secundùm ea, quæ proponerentur*, Germ. Gestalten Sachen / oder allem Anbringen nach; ut appareat, eum non de facto, sed ad factum respondere: nec velle responsum suum ultra speciem propositam porrigi: aut, si mavis, in argumentum, quòd omnes controversi facti circumstantias ita comparatas invenerit, ut eo modo sententiam ferri oportuerit. Ex facto enim,

l. Lucius 38. v. Paulus respondit. l. 20. §. 1. in fin. fam. ercisc. l. fin. §. fin. de pignor. act. l. fin. in fin. d. leg. commiss. l. fin d. rescind. vend. l. pen. in fin. locati l. pater. 17. in fin. pr. de dol. mal. & met. exc. l. prædia 27. in fin. prin. de instr. vel instr. leg. l. Lucius 88. §. Damn. 12. & §. fin. in fin. de legat. 2. l. Lucius 78. § 1. ad SC. Trebell. v. Ant. Fabr. Jurispr. Papin. scient. l. 1. tit 1. princ. 2. illat. 7. Joach. Hopper. ad Pand. jur. civil. lib. 1. tit. de Jureconsultis pag. mihi, 59: l. 18. § 9 d. instr. leg. l. 8. in pr. de rei vind. l. 52. §. in divo Capitolino ad l. Aquil.

ut vulgò ajunt, jus oritur: ut proindè perpendi ſemper cujusq; facti circumſtantiæ debeant diligentisſimè. Quam in ſententiam egregiè, ut omnia, ſummus vir Chryſoſtomus: μὴ τοίνυν, inquit, ἁπλῶς τὰ πράγματα ἐξετάζωμεν· ἀλλὰ καὶ καιρὸν, καὶ αἰτίαν καὶ γνώμην καὶ προσώπων διαφορὰν, καὶ ὅσα ἂν αὐτοῖς ἕτερα συμβαίνει πάντα μετ' ἀκριβείας ζητῶμεν. h. c. Non *igitur ſimpliciter, & in univerſum, generaliq; tantùm cognitione excutiamus, ac examinemus negocia. Sed tempus, & cauſſam, & voluntatem, & perſonarum differentias, & quæcunq; ipſis alia contigerint, accuratè & diligentèr omnia exquiramus atq; perpendamus.*

Chryſoſt. homil. 17. in Matth.

Hoc verò ipſum præſcribit quoq; magnus Plato, * tantoq; adeò tutiora ſunt hujuscemodi reſponſa, quantò periculoſius eſſe conſtat, ſi judicandum ſit ex theſi, ut inter cæteros notat in transcurſu P. Faber * Senatus Tholoſani præſes maximus.

** Duaron. ad l. 122. §. Agerius de V. O. Ant. Mornacius ad d. §. in clivo Capitol* [illegible]

** P. Fab. ad l. omnis definitio de R. J.*

5\. Tametſi verò Scævola facti conjecturam à profesſione Jurisconſulti planè remotam credidit, Galli nimirùm Aquilii eâ in re æmulator, qui ad facti quæſtionem dilabentes Conſultores ablegare ad Ciceronem ſolebat, *nihil hoc ad jus,* inquiens, planè ut noſter, *Non de jure quæritur:* multa tamen ſunt, nec infirma, quæ in contrariam partem adferuntur, argumenta. Et eſt il-

Cic. in Topicis. l. 20. §. ult. d. inſt. vel inſtrum. leg.

illa sanè magni momenti quæstio, quam ex neotericis eleganter tractat, & quo temperamento componi possit hoc opinionum dissidium, ostendit Diodorus Tuldenus in eruditissimo tractatu, quem de caussis corruptorum judiciorum ac remediis conscripsit. *lib. 2. c. 13.*

6. Conciso abruptoq; sermonis genere delectatum fuisse Scævolam, etiam Novellis Justinianeis non est inauditum: ut non absq; re sit, quòd Nevizanus: *Scævola solet truncatè respondere, adeoq; dicta sua indigent suppletione.* Cujus adsertioni adstipulantur Alciatus, Robertus, * Molinæus, Æmylius Perottus, & alii: etsi tamen hæc abrumpendi forma minimè ei singularis, sed cum plerisq; bonis autoribus communis. Plana sunt ejus rei exempla, sed cumprimis illustre, quàm forte aliud usquã inveniri potest in nobili & vexatissimâ *l. periculi precium. 5. de nautico fœnore:* quæ ferè est unica in jure nostro disertè (si rectè intelligatur) loquens de sponsionibus per rei ab unâ tantùm parte profectæ dationem sic solitis celebrari, ut in conditionis appositæ eventum retineatur, in contrarium cum augmento recipiatur. Id quod novâ ad eam legem commendatione luculentèr demonstravit, non solùm gemino illius legis sensu, sed & usu hodierno in decisionibus caussarum patefacto, vir variæ reconditæq; scientiæ Justus Zinzerlingus U. I. D. noster olim in illustri *Neviz. 5. sylv. nupt. n. 33.*

* *Alc. de V. O. lib. 4. Robert. 4. sent. 16. Mol. de usur. q. 3. n. 102. Perot. ad l. Gallus §. 1. de lib. & posth.*

lustri

Iuſtri legum nutrice Salanâ commilito: ipſum illud, quod diximus, Scævolæ ἦθος pro certiſſimo & infallibili argumento habens, legem allegatam omninò Scævolæ eſſe, nec ullo modo debere converti cum præcedente, atq; ita Papiniano transſcribi: quòd tamen facit Salicetus, errore, an datâ operâ, incertum.

7. Neq; verò defuerunt, qui Scævolam, ob hoc ipſum dicendi genus, perſtrinxerunt, vix alia quippè quàm ambigua reſponſa ſolitis ab eo ferre conſultoribus, quòd eo is conſilio ageret, ut ſi aliquâ ex parte minùs rectè reſpondiſſe deprehenderetur, alium illi ſenſum accommodando reprehenſorum vela declinaret: reprehendendus ob id pariter cum conſiliariis illis, quos Tacitus notat, *qui veri copiam non faciunt, ſed ſuſpenſa, & quò ducantur, inclinatura, reſpondent.* Sed à quibus illum reprehenſionibus Iohannes Robertus prolixè nec ineruditè defendit. Cui adde, ſi lubet, libellum Duareni, quem Scævolam inſcribit, titulo de verbor. obligat. ſubnexum.

lib. 11. annal.

d.l. 4. ſent. 16

8. Proverbii loco dicere ſolitum accepimus, *jura vigilantibus ſcripta eſſe.* Dictum me herclè aureum, ac magni in vitâ communi uſus: cùm citra vigilantiam ac diligentiam nihil quicquam proficere aut efficere poſſit laude dignum: omnibusq; adeò tàm juris candidatis, quàm cauſſarum patronis, ne vel hi ab adverſario circumventi cauſâ cadant, vel illo ſomno ac torpori dediti ſperato ſtudiorum fructu excidant,

l. 24. in fin. quæ in cred. fraud. c. ed.

dant, apprimè notandum, atq; intimis sensibus reponendum.

Notum illud Plinianum, *vitam mortalium esse vigiliam*, quod emblematis loco Vigilius Zwichemus ab Agta, Eques Auratus, & secreti Senatûs Belgici summus Præses, aureiq; velleris Cancellarius, clarissimum Frisiæ lumen & crebris sermonibus usurpavit, & in omni vitâ observavit: exemplo quidem studiosis eò magis imitando: quòd Jurisprudentia non sine summo studio percipi potest: res illa quippè non *subcisiva*, ut cum Sopho Romano dicam, sed *ordinaria*: eademq; laboriosa adeò & subtilis: ut plerìq; etiam post absolutum studiorum cursum parùm admodùm sint adsecuti: ac ferè tùm demùm ineptos se deprehendant, cùm ad scribendum ac de jure respondendum calamum arripuerint: nec ignorantiam suam, priusquàm in forum accedant, aut ad res gerendas animum manumq; applicent, scire videantur. Vigilandum ergò est, fateor: nam

Jac. Botteric. ad Pand. lib. ff. 15. p. mihi 35. & in Epiloge.

Senec. epist. 53.

Qui satur irriguo gaudet turgescere somno; & inducias à naturâ quieti nostræ datas vitam existimat suam, ad eum nec virtus, nec sapientia divertent, quæ in sicco habitare solent, non in liquido aut humoribus diffluente corpore. Vigilandum, inquam, est; vitanda *improba Siren desidia*; laborandum diu multumq;, ac venerandæ Themidos sacris, non tunc tantùm, *cùm ludi intercalantur, cùm aliquis pluvius intervenit*

dies, quæ Senecæ quondam fuit querela, sed νύκτας τε καὶ ἦμαρ, juxta vulgatum illum versiculum:

Noctе dieq; leges, si vis addiscere leges,

incumbendum: ut non absurdè vulgò præter crumenam auream sive argenteam, (sine quâ tamen multos egregiam in jure navâsse operam compertum est) in hujus studioso caput ferreum, quod sit laborum patiens & plumbeas nates, pertinax videlicet ac continuum studium requirunt: eâdem nimirùm ratione, quâ Poëtæ Musas in Parnasso sedentes fingunt; aut quâ quisquis fuerit ex priscâ Philosophorum turbâ *sedendo animam sapientiorem fieri* dixit.

Vide. in prolег. de stud. jur. ad Jurispr. p. 49. & seq.

9. Dura hæc forsitan atq; austera videantur. Quid ni? cùm si ullâ in re verum est tritum illud sermone proverbium, τὰ καλὰ χαλεπὰ, heîc certè verissimùm; inscitiaq; adeò sit, *te id, quod multi invideant, multiq; expetant, postulare*, si tu laborem summâ cum curâ efferas nullum, Epicharmi sententia minimè incognita est, hocce comprehensa versiculo:

Vetus Poëta apud Cicer. Orat. pro Sest.

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ᾽ ἀγαθ᾽ οἱ θεοί.

A quo minimè dissentit illud Lucilii Satyrici antiquissimi: *Hunc laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat*. Nec malè Plutarchus, DEUM si absq; labore hominibus dormientibus quasi sua objiceret bona, visum iri ea ἐξευτελίζειν & non magni æstimare. Quin ut nulla res sat facilis ei, qui quid invitus & ignavo

re-

remissoq; animo faciat: ita nulla difficilis, aut nimis ardua ei, qui alacri excitatoq; animo

— — Pigra extulit astris
Haudunquàm se se virtus — —
sicut econtra

— — ὁππόσοισι δὲ κάρτος ὀπηδεῖ
καὶ πόνος ἐκ καμάτου πολυγηθέα καρπὸν ἀμῶνται
εἰς ἀρετῆς ἀναβάντες ἐυστεφάνου κλυτὸν ἔρνος.

ut præclarè apud suavissimum Poëtam Cointum Calabrum ait Achilles, præceptis salutaribus imbuens Neoptolemum. Hoc est; *Quos autem fortitudo comitatur & labor, jucundissimum ex labore fructum metunt, ad inclytum coronatæ virtutis germen enixi.* lib. 12.

10. Nec verò studia cujusquam ideò tardari decet, aut industriam langvescere: quod ad supremum Sapientiæ gradum adsurgere paucis admodùm concessum est

— — quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera Virtus.

In rebus siquidem arduis & magnoperè expetendis omnia potiùs tentare & experiri oportet, quàm ob assequendi desperationem à rectâ voluntate deseri: qvum ad summa nitenti vel in secundis tertiisvè, si consequi prima non liceat, consistere pulchrum sit.

Est quadam prodire tenus, si non datur ultrà, ait Flaccus: nec minùs rectè quàm eleganter eloquens rei rusticæ scriptor Columella:

Col. in praef. l. 1. de re rustic. la: *Nec si vel illa praestantis ingenii vis, vel inclytarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad ocium & inertiam devolvi, sed quod sapienter speravimus, perseveranter consectari. Summum enim culmen affectantes, satis honestè, vel in secundo fastigio conspicimur. An Latiae Musae non solos adytis suis Accium & Virgilium recepere, sed & eorum proximis & procul à secundis sacras concessere sedes? Nec Brutum, aut Caelium, Pollionemvè cùm Messalà, & Catulo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis: Nam neq; ille ipse Cicero territus cesserat tonantibus Demostheni, Platoniq;: nec Parens eloqventiae deus ille Maeonius vastissimis fluminibus facundiae suae posteritatis studia restinxerat. Ac ne minoris quidem famae opifices per tot jam secula videmus laborem suum destituisse, qui Protogenem Apellemq; cum Parrhasio mirati sunt. Nec pulchritudine Jovis Olympii, Minervaeq; Phidiacae sequentis aetatis attonitos piguit experiri Bryaxem, Lysippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere aut quò usq; progredi possent. Sed in omni genere scientiae, & summis admiratio venerátioq; & inferioribus merita laus contingit.*

II. Scriptorum Scaevolae, praeter notas ad Julianum & Marcellum, elenchus hic est: Digestorum βίβλια τεσσαράκοντα: Quaestionum βίβλια εἴκοσι: Responsorum βίβλια ϛ: Regularum βίβλια τέσσαρα: de quaestione familiae βίβλιον ἕν: Quaestionum deniq; publicè tractatarum βίβλιον ἕν. Undè quidem frequentissimae

mæ in Pandectis nostris leges, summi & ingenii & judicii testes: nec ullus ferè, si primum librum excipias, illustris titulus, in quo non Scævolæ nomen reperias.

CAP. XVIII.

1. TARRUNTIUS PATERNUS sive TARRUNTINUS, militiæ clarum togæq; decus, literas & arma felicissimè conjungi posse, id quod veteres in Pallade armatâ, & in Martis cū Mercurio conjuncti imagine adumbratum voluerunt, exemplo suomet egregiè testatum reddidit: Jurisconsultus quippè minimè proletarius, idemq; Præfectus Prætorio, ac præcipuus copiarum Dux in ultimâ M. Aurelii expeditione, cui & immortuus Imperator Vindobonæ, quæ Vienna nostras, Norici Pannonici caput ab antiquo, ac nobilis fiorensq; Romanarum legionum præsidio.

2. Sub M. Antonino Commodo, qui ut vomica Imperii, ità dedecus Antoninorum gloriæ, optimiq; Patris & herois non proles, sed propudium extitit, Præfectoriam dignitatem aliquandiu retinuit: sed quà illum Imperator, cùm aliis ex caussis, tùm & ex ambitu Collegæ Perennis, qui solus rerum potiri satagebat, metuens quidem interimere, abdicare jussit, & in Senatorium gradum extulit. Quæ quidem promotio cædem secumnecemq; attraxit Paterni

Ex Lampid. & Dion. Joann. Fers. de præf. Prætor. c. 6. p. mihi 179

omniaq; adeò Commodo jam luxuriæ & voluptatibus penitùs mancipato, sic in sinum Perennis devoluta fuerint: ut eâ occasione jam & ipse corruptior omnia jura corruperit, atq; præmiationibus suis in universum imperium sit pergrassatus usq; dùm ipse quoq; â milite legionario, ad id evocato per Cleandrum, hominem vilissimæ originis, sed potentem apud Commodum, avaritiæ, ambitionis, superbiæ intolerabilis, ac toti populo invisum, necaretur.

3. Rem militarem, cujus erat peritissimus, ut non posset eum Hannibal aliquis ridere (id quod Phormioni quondam accidisse legimus, de re bellicâ copiosissimè differenti, sed qui castra nunquàm viderat) quatuor libris Paternus tractavit: undè quidem duæ tantùm leges Pandectis sub *tit. de re milit. & de jur. immun.* occurrunt insertæ: etsi nec hoc quidem sine pugnâ manuscriptorum, si Bernartio fides, dùm alii habent loco Taruntini Macer, nonnulli Marcianus, aliqui Aurelius Arcadius. Sed nihil ego in Florentinâ lectione immutaverim: cùm præsertim Macer ipse Paternum alleget in *l. 12. eod. tit. de re milit.*

Cic. lib. 7. de Orat. Plut. in comp. Scip. & Hannib.

Cap-

CAP. XIX.

1. JUNIUS MAURITIANUS, vir inter paucos elegantis doctrinæ, & à jure civili potissimùm benè instructus, degenere illo Commodo regnante inclaruit, trucidatus mandato Didii Salvii Juliani, Jureconsulti, à Præfecturâ vigilum post P. Helvium Pertinacem occisum ad imperii fasces evecti: sed quem paulò post ad pontem Milvium L. Septimius Severus interfecit: ut unus idemq; annus, qui Christi fuit centesimus nonagesimus quintus, tres Imperatores viderit: quorum priores duo paucorum mensium, posterior multorum annorum fuit. *M. Welser. rer. Aug. Vindel. lib. 5. p. 136.*

2. Nomen Mauritiani in libris nostris satis obvium: ut mirum sit à viro docto in historiâ juris civilis penitùs fuisse neglectum.

3. Libris Juliani eum notas adscripsisse, tùm ad leges libros sex elucubrâsse comperio. Ex ejusdem libro secundo de pœnis, desumtam esse legem tertiam *de edendo* docet inscriptio.

CAP. XX.

1. Q. SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS, eximium seculi sui ornamentum, L. Septimio Severo, & Antonino Caracalla filio imperantibus floret: is nempè natione Afer, &

G. Rom. προσφωνήσει spicil. in Proverb. Salomonis.

Carthaginensis, JurisConsultus summus: sed qui gustatâ dulcedine & animadverso splendore verbi DEI, repudio misso & gentilissimo & ipsi juris scientiæ, ad Agni nuptias beatissimas se contulit: cumq; anteà proximus Scævolis, Labeonibus, aliisq; Astrææ luminibus leges ingenti laude professus esset, codicem posteà legis Mosche, Prophetarum & Apostolorum versavit, atq; verè veram exindè non simulatam rerum divinarum notitiam, Deiq; cognitionem percepit: factus certè Christianæ Ecclesiæ Doctor illustris, cæterisq; ejusdem nationis scriptoribus (Arnobium, Cyprianum, Optatum, Athenagoram, alios intelligo) non segnior religionis orthodoxæ adversus infideles & Ethnicos assertor. Cujus rei iidem illi, quos de rebus divinis scripsit, libri indices clari sunt, translationibus ex jure sumtis refertissimi: ac testis præterea Eusebius, qui signatò inter Jureconsultorum ordines Tertullianum refert, tametsi nec desunt, qui hâc in parte, sed frustrà, dissentiant.

Eufeb. l. 2. hist. Eccles. c. 2. Cujac. 7. obs. 2. Eberl. de orig. jur. c. 55. Rudolph. Forner. 6. rer. quotid. c. 5. Fr. Ragnell. ad l. ult. C. de cur. furiof.

2. Libros in jure reliquit Quæstionum quatuor: de castrensi peculio unum, de quibus non nisi quinq; responsa in Pandectis nostris exstant, sententiam ejus, etsi obscuriùs propositam, quod jus Patriæ potestatis non permittat, ut filio familias furioso alius detur curator, cùm non is esse possit extranei curatoris affectus, qui Patris, comprobat Justinianus, eumq; juris antiqui nominat interpretem.

d. l. ult. C. de curat. furiof.

3. Con-

3. Consul Romanus fuiſſe, idemq́; autor SCti Tertulliani de liberorum hereditatibus matri deferendis nonnullis exiſtimatur. Sed non ego illis credulus: qui ſciam SCm. illud factum Fl. Tertullo & Licinio Sacerdote Coſs. idq́;,temporibus,ut inquit Juſtinianus,Divi Hadriani h.e. Divi Pii, qui ab Hadriano adoptatus fuit, ejusq́; etiam nomen, ut meruerat, tulit.

§. poſtea 4. 7. Inſt. de SC. Tertull. ibidemq́. Cujac. Giſan. & Ritterſhuſ.

4. Libris ab eo de religione Chriſtianâ confectis B. Cyprianus tantùm tribuit, ut poſcens codicem ſcriptorum illius Magiſtrum ſibi dari juberet, & absq́; Tertullianeâ lectione nullam diem præterire pateretur. Palmam inter alios meretur Apologeticus: in quo præclarè refutat Trajani reſcriptum de Chriſtianis. Illuſtris in eo locus de votis Chriſtianorum pro Imperatoribus Romanis: quem, vel ideò huc adſcribere viſum, ut cognoſcat Lector, quàm reverentèr de magiſtratu etiam Ethnico antiquis illis purioris Eccleſiæ temporibus ſenſerint Chriſtiani. *Nos pro ſalute Imperatorum DEUM invocamus æternum, DEUM verum, DEUM vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter ceteros malunt. Sciunt, quis illis dederit imperium: ſciunt, quis homines, quis & animam: ſciunt, eum DEUM eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi ante omnes & ſuper omnes Deos.* Et inferiùs paullò: *Illius enim eſt ipſe* (Imperator) *cujus & cœlum eſt & omnis Creatura. Indè eſt Imperator,*

Eraſm. Roterod. præf. in Cyprian.

undè & Homo, antequàm Imperator. Indè pote-stas illi, undè & Spiritus. Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, deniq; sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunq; hominis & Cæsaris vota sunt: hæc ab alio orare non possumus, quàm à quo scio me consecuturum. Haud minùs elegans de Imperatore testimonium exstat in libro ad Scapulam: *Christianus nullius hostis est, ne dum Imperatoris: quem sciens à DEO suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Rom. Imperio, quousq; seculum stabit, tamdiù enim stabit. Colimus ergò Imperatorem sic, quomodò & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à DEO secundum, & quicquid est à DEO consecutum, & solo DEO minorem. Sic enim omnibus major est, dum solo vero DEO minor est.*

Hæc ille scriptor gravissimus & Apostolicorum temporum pietati proximus ad Africæ Præsidem, sub Imp. Severo Christianos acriter venantem: hæc erat illius ævi Christiana disciplina: haud immeritò opponenda magis quorundam curiæ Romanæ ciniflonum bullatis, qui Imperatorem à Papâ tanto intervallo superari gloriantur, quanta est inter Solem & Lu-

Lunam distantia claritatis. Notus est locus: ubi quidem glossa sic rem explicat. *Igitur cùm terra sit septies major Lunâ, Sol autem octies est major terrâ, restat ergò, ut Pontificalis dignitas quadragies septies sit major regali dignitate.* Inficetus nimirùm glossator rationem magnitudinum nihilò plus calluit, quàm sensum scripturæ.

cap. solitæ benignitatis extr. de major. & obed. junct. cap. 10. Duo sunt luminaria, & duobus seqq. dist. 96.

CAP. XXI.

1. PAPIRIUS JUSTUS, vir inter suos splendidus & ornatus, Tertulliano σύγχρονος fuit: Siquidem is est, ad quem exstat rescriptum Severi & Antonini A. A. sub tit. Cod. Ex qvib. causs. infam. irrogatur, Geta & Plautiano Consulibus: quorum nimirùm ille Severi Imperatoris filius, hic verò, cùm è tenuissimâ, immò vilissimâ sorte ad fortunas plusquàm regias sese per rapinas & confiscationum pœnas extulisset, ad affinitatem usq; imperatoriam admissus tandem, sed in eo potentiæ gradu ac fastigio, generi, ut putatur, insidiis pessundatus, atq; ignominiosè necatus, insigni incertitudinis sortium humanarum, & quantorumvis honorum exemplo, ad eorum accessit numerum: qui magnis cladibus ostenderunt, quàm sit periculosæ plenum opus aleæ, privati hominis nomen juxta vel supra Princi-

pes

pes attolli. Incidit autem illorum Consulatus in annum DEI incarnati quintum ac ducentesimum.

2. Nec plura de Justo nobis comperta: nisi quòd Divorum fratrum Constitutiones viginti libris complexus est.

CAP. XXII.

1. AEMILIUS PAULLUS PAPPINIANUS egregium Astrææ columen, ævi sui lumen, ingenii acumine, doctrinâ, virtute perenni clarum: de cujus ætate ad quarundam legum conciliationem ineptissimè loquitur Paullus de Castro, acutissimus alioquin interpres, vixisse illum scribens temporibus divi Augusti, atq; Antonii triumviri sævitiâ peremtum fuisse: qvùm tamen illo ævo vix natum quisquam dixerit. Sed illud Castrensis figmentum nos monere debet, quantis in tenebris versentur, & quàm frequentèr ludos faciant, ac svavitèr risendos se præbeant, qui antiquitatis lumine destituuntur, id quod præter alios etiam magno illi Accursio, quem Cujacius omnibus interpretibus Græcis & Latinis præfert, multoties accidisse constat: usq; adeò, ut in somniantis hominis commento potiùs, quàm in vigilantis commentario videaris versari. Sed omissis fabulis ad historiam revertamur: cujus qui mediocritèr peritus, facilè is animadvertit, Papinianum Severo imperante vi-

Castrens. in l. fin. C. de instit. & substit. n. 4.

viguisse ac floruisse: Principe quidem illo in rebus gerendis ita acri & industrio, ut morti etiam vicinus auditus sit dicere,

ἄγετε, δότε, εἴ τι πρᾶξαι ἔχομεν h. e. Dio Cass. hist. Rom. lib. 76. sub fin.

Agite dum, date, si quid peragendum habemus.

2. Ei verò noster hic admodùm fuit familiaris, & per Plautillam ejus morum, cujus ipse sororem uxorem duxerat, affinis, Consistorianus item & Consiliarius intimæ admissionis, atq; tandem post Plautiani exitum infelicem, Præfectus Prætorio, tàm flagrantis gratiæ & autoritatis: ut moriens Severus Antonium Caracallam, & Septimium Getam filios, quem utrumq; jam tùm à primâ adolescentiâ ad imperium destinaverat, Papiniano præcipuè commendaret. Adeò nullum dignitatis & honoris fastigium tàm sublimè: ad quod Jurisprudentia sui cultores non possit evehere: sic certè remunerari illos plerumq; solita: ut quamvis obscuro sint loco nati, sedeant tamē juxta Principes, *juxta Principes*, inquam, *populi sui.* Id Psal. 113. v. 8. quod Psaltes Regius inter mira Providentiæ DEI specimina recenset.

3. At enim quæ non pectora mortalia cogis cœca regnādi cupido? Antoninus lacte Christiano educatus, cùm honestæ pueritiæ specimen dedisset, cùm potestate mores mutans in omnes sævire cœpit: & sub ipsa adeò Imperii auspicia, quod hujus societas, quam Pater filiis demandàrat, ipsi videretur intolerabilis, Getam fratrem, biennio juniorem se, in ipso sinu matris Tertull. ad Scap. Jac. Gordon tom. 2. oper. Chronol. ad A. C. 213.

Ju-

Juliæ, cùm ad eam trepidus juvenis aufugiſſet, atq; ſic inclamâſſet, *μῆτερ, μῆτερ, τεκοῦσα, τεκοῦσα, βοήθει, σφάττομαι; Mater, mater, genitrix, genitrix, opem fer, occidor*, per ſicarios (adeò plus dominandi amor, quàm ſangvinis jus potuit) nefariè interfecit: matre quidem ſui filii ſangvine perfusâ, ut vulnus, quod in ipsâ manu acceperat, nihili faceret, nec vel lamentari tamen vel lugere caſum acerbiſſimum ausâ: hujusmodi inſuper addito per jocum dicterio. *Sit Divus, dùm non ſit vivus.* Quaſi diceret: Non equidem invideo fratri meo divinitatis & conſecrationis ſivè *ἀποθεώσεως* honorem, dùm modò ipſe ſit è medio ſublatus, & ego ſolus rerum potitus careas conſorte Imperii. Huic verò tàm nefando parricidio colorando & palliando cùm curiam adſcendiſſet Caracalla, binis ſuis, innixus Præfectis Prætorio, Fab. Chilone & hoc noſtro, ii autem aſſentiri detrectarent, ac Papinianus præſertim, faciliùs patrari quàm excuſari parricidia diceret (ô dignam juris Antiſtite & ad omnem poſteritatis memoriam commendabilem ſententiam! ô mentem! ô pectus!) deteſtandum ſcelus fœdiſſimo ſcelere cumulavit. Raptus enim mox ejus juſſu Papinianus & in conſpectu Tyranni, unà cum Petronio quodam, ſecuri percuſſus, ac per plateas ſine ullâ humanitatis ratione tractus fuit. Raptus eſt & paullò poſt alter Præfectus Chilo, Cæſaris educator & nutricius, idemq; & Conſul,

Dio Caſſ. hiſt. Rom. lib. 77.

Spartian. in Caracallam. Joh. Ferf. tr. de præfect. Prætorii c. 3. p. mihi 21. & 22. itemq. c. 6. pag. 179.

ſul, veſte ipsâ Senatoriâ ſublatâ: ſed ſervatus tamen ob Cæſaris interventum, qui Patrem ſuum, & tunc, etſi ſimulatè vocavit, cujus æquè ſangvinem ſitiebat: cæſiq; prætereà ex hâc occaſione, ad XX. millia, qui Getæ interemto favere credebantur.

4. Hunc vitæ exitum habuit integerrimus ille Juſticiæ ſacerdos, ille

Virtutis veræ cuſtos, rigidusq; ſatelles.

eò ſanè miſerabiliorem, quòd tantus jurium conditor ac tot tantorumq; Jureconſultorum in tantillâ ætate Magiſter, idemq; virtutum ſuarum meritò ad ſummos honores ſupra ætatem provectus, non aliam ob cauſſam, quàm ob juſtitiæ cultum ac tutelam, à ſellâ ſuâ curuli & gladio Præfectorio, ad ſecurim ac mortem dignitati ſuæ indecorem, ſed eandem tamen, quia æquiſſimo toleratam animo, glorioſiſſimam abripitur: inſultabundo etiam in hæc verba tyranno & parricida: *Gladio meri Præfectum Prætorio oportuiſſe.* Et factum hoc quidem, quod miſerationem auget, ipſiſmet Papiniani parentibus adhuc ſuperſtitibus, ſpirantibus ac viventibus: qui ὁρᾶν θέαμα δυσθέατον ὄμμασιν, ut cum Æſchylo loquar, nec oculorum modò, ſed & animæ telum ferre patiq; coacti, doloris juxta ac filii ſui monumentum tale poſuerunt, etiamnum Romæ viſendum.

AEMI-

AEMILIO PAULLO PAPINIANO,
PRAEF. PRAETOR. JC. QVI
VIX ANN. XXXVI. MENS. III.
PAPINIANUS HOSTILIUS ET
EUGENIA GRACILIS, TURBATO
ORDINE, IN SENIO, HEU PA-
RENTES, FECERUNT FILIO
OPT.

5. Notisſima hæc hiſtoria, inquiat aliquis. Sanè notisſima: ſed eo ipſo impenſiùs notanda, quia cùm ſit notisſima, fit tamen nihilo ſeciùs quotidiè. Usq; adeò inter Chriſtianos etiam plures aut Faventini, aut Placentini, aut Laudenſes, quàm Veronenſes: plures in Favorini, quàm in Theodoſii, aut Nemeſii, aut Eunomii ludo edocti: ut non deſint etiam, qui cùm impediri quidem ſcelera, dùm fiant, velint, ſed perfecta, quia fieri jam nequeat, ne facta ſint, à cliente defendi, nimirùm ob id honeſtatis rigorem in Papiniano culpent, temeritatis eum & inſipientiæ accuſent, & illorum adeò munere accenſeant, qui *per abrupta, ſed in nullum rei poſt uſum ambitiosà morte inclaruerant*: Senecam prætereà heîc nobis, qui cæſæ Agrippinæ confictas quanquàm cauſſas Neronis nomine ad Senatum ſcripſerit, nec non & Ariſtidem objectantes, cui mores ſui & vita privata juſti cognomen pepererunt, licet in adminiſtratione publicæ rei Atheniensium, πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένης injuſta multa ſciverit.

Bodin. d. Republ. lib. 5. c. 4.

Tacit. Agric.

Id. Tac. annal. l. 14.

Plut. in Theophr.

6. Ve-

6. Verùm longè saniùs de hujuscemodi rebus sensit ac scripsit Tullius in aureis officiorum libris: & ut maximè prudentia illa, quam Philosophi Politici περιστατικὴν, velut temporum necessitate expressam, hodierni Rationem Status vocant, nonnullibi locum habeat: cautione tamen heic & attentione magnâ opus est, ut ne nimis illa à rectâ ratione abeat, atq; ita ex jure status fiat status flagitium. Ne, inquam, prudentiam istam περιστατικὴν, cui humanum genus sua miseria & vanitas fecit obnoxium, ut rectè sentit B. Augustinus, in veteratoriam illam malitiam, quam vir optimus Polybius κακοπραγμοσύνην vocat, ac tantoperè abominatur, convertas: ne dolos & fraudes nefarias hoc specioso mantelio obnubas: neve adeò sub prætextu illius contra justitiæ nomen & rectam conscientiam quid committas. *vi Casaub. comment. in Polyb. p. mihi 108. & seqq.*

7. Nefandi Doctores, execrandi consultores qui Principibus alia suggerunt. Quasi verò Deus noster sanctissimus, quam Regibus imposuit mortalium regundorum provinciam, sine subsidiariâ scelerum cohorte administrari posse noluerit: aut quasi divinæ leges Magistratibus & Satrapis haud quaquàm sint latæ: atq; adeò inferorum sedes plebeja tantùm scelera, non Regum etiam ambitionem, avaritiam & crudelitatem expectent: juxta dictum illud Tyrannicum:

— — *Sanctitas, pietas, fides*
Privata bona sunt: quà libet, reges eant.

Abeant verò in morboniam, immò in malam crucem, qui hæc talia potius, quàm illud tragici vatis:

Minimum decet libere, cui nimium licet.

Ecclesiast. 10, 8. aut Syracidæ effatum: *Regnum à gente in gentem transferri propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos,* potentibus instillant, & virtutibus ac viribus destitutos ad ignobiles illas & plenas probri Machiavellistarum Sycophantias nequitiasq; confugere docent: quæ, tametsi ad tempus juvent, postremò fallunt.

8. Ter contrà & ampliùs boni ac laudabiles, qui sine spe, sine metu puram & incorruptam veritatem, æquè pauperibus, æquè locupletibus edisserunt: & monendi adeò libertate, sed quæ tamen prudentiæ sale sit condita, offendere quàm placere adulando malunt. Tales utiq;

Non civium ardor prava jubentium
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ: — —

nec quicquam unquàm tàm infestum illis atq; adversum obtingit, ut mancipia fiant alienarum voluntatum ac voluptatum, improbarumq; cupidinum vel autores, vel administri.

Tacit. l. 4. annal. 9. Licet sanè, haud nego, *inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum*, ut præclarè loquitur Tacitus, si civilem prudentiam spectes, historicorum facilè antesignanus, Politicorum faci-

facilè coryphæus. At quodnam, obsecro, deformius obsequium, quàm reluctante conscientiâ facinus tàm crudele atq; impium suffragio suo comprobare? Enimverò non desinit vinum esse vinum, si guttulam aquæ aspergas: at desinit virtus esse id, quod est, si vitium aspergas. Non amat illa sceleribus permisceri, quibus adversatur. Fucum non fert, purpura est, lux est, tenebras nescit, colorem respuit, cœlestis naturæ est. Nec itaq; facienda sunt, sed nec consulenda, sed nec excusanda mala, ut Principi obsequaris, aliterq; quid eveniat boni.

— *Phalaris licet imperet, ut sit*

Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,

vir justus tamen à recti tenore non vel latum ungvem deflectet: siquidem, ut ait ipsemet Papinianus, *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & quæcunq; tandem contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos posse credendum est.* Nimirùm quales viri fuere libri, tales etiam mores: quale dogma, tale exemplum: ut scripsisse moribus, vixisse libris, docuisse exemplo, præivisse dogmate ad honesta omnia videatur. §. 15. de cond. inst.

10. At qualis contrà Philosophiæ Stoicæ princeps, quiq; adeò morali sapientiâ superâsse creditur,

τοὺς ὄντας, τοὺς ἐσομένους, καὶ τοὺς πρό τ' ἐόντας?

Næ is longè alitèr (quicquid Lipsius, scriptorum ejus amore ebrius, attestanti hoc ipsum Dioni Cassio Coccejano, Consulari viro, historico certè v. Jac. Ton- [illegible] 6. 9. 10.

 fin-

ſingularis prudentiæ politicæ, & integræ fidei, atq; ob id malè ab illo in catalogo prudentiæ doctorum præterito contradicit) vixit, quàm ſcripſit. Paupertatem diſerto prædicavit ore, ac quaſi ſaturo ventre jejunia collaudavit, qui ter millies HSSCis modus nobis hodiè eſſet ſeptuagies quinquies centena millia Philippicorum) poſſidebat: ingentes & privatum ſupra modum evectas opes adhuc augebat: Italiam & provincias immenſo fœnore hauriebat: hortorum quoq; amœnitate & villarum magnificentiâ quaſi principem ſupergrediebatur. Tyrannos dictis laceravit: ſed dictis viciſſim, immò opere tyranno-didaſcalum præbuit: parricidii quippè, in quo, ut rectè cenſet Juſtinus, nulla ſatis juſta cauſſa ad ſceleris patrocinium prætexi poteſt haud defenſor modò, ſed unà cum Burrho conſultor: eò quòd ſalutem Neronis ſolo parricidio ſtare poſſe crederent: cum aliis tamen inventis infringi Agrippinæ potentia potuiſſet, & intra æqui ac vitæ limites nullo Cæſaris periculo coërceri. Quid verò? an profuiſſe quicquam putamus Cæſari hanc Senecæ purgationem? Immò longè acrior exarſit invidia, quaſi & Senecam (quo rectore ſpes Reip. hactenùs conſtiterat) vis dominationis inquinâſſet. Papinianus contrà noſter, ille juſti ac propoſiti tenax, injuſta juſtè ac cordatè renuit: aut quòd & ipſe aliud oratione ſuà effeciſſet, quàm ut agnoſcere flagitium videretur, plebisq; in Principem odia & erga ſe intenderet? Id quod Pa-

Juſtin. lib. 16.

Car. P. Haltron Aula & otii l. 1. n. 20.

trum

trum memoriâ contigisse scimus viris quibusdam dignitate & doctrinâ præstantibus: qui quamvis vanitatis alioquin & fuci hostes, conjurationem Bartholomæam, omnium flagitiorum pantheram, indeq; subsecuram lanienam, & immanes Protestantium cædes, quæ in omnium ordinum homines per Galliæ urbes exsecrando scelere passim patratæ, graviter & ex animo detestarentur, Statii etiam Papinii versibus, in dispari re licet, huc accommodari solitis:

Excidat illa dies ævo, nec postera credant
Secula: nos certè taceamus, & obruta multâ *Thuan. histor. lib. 52.*
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis:

tamen ut regno Regisq; bono, famæ & honori servirent, officiosis mendaciis nefandum scelus, quod intra se omnibus diris & imprecationibus flagellabant, aut simulatè laudare, aut astutè imminuere vel exquisitissimis ex falsâ narratione, detortis ratiunculis ingeniosè diluere, sed irrito prorsus conatu, ausi fuerunt. *Thuan. histo lib. 53. & 56.*

II. At bono publico, inquias, vixisse Papinianus poterat ulterius? Et hoc admodùm in dubio est. Quid enim, si posteà Caracalla in eo, ceu autore sceleris, cui patrocinaretur, omnium iras novâ fraude expiâsset? rem certò haud novam aut inusitatam facturus: cùm sic fieri plerumq; amet: ut graviorum facinorum administri, tùm quia quasi exprobrantes adspiciuntur, admissorumq; conscientiam præsentiâ suâ irritant, tùm quòd in re idem, si expediret, au- *Haltren. d. lib. 1. n. 19.*

 suri

suri suspectantur, levi post admissum scelus gratiâ, dein graviore odio sint, ac tandem, velut piaculares victimæ, velut odii publici litamentum, Principis flagitia luere cogantur. Cujus quidem rei exempla per latos & lætos historiarum campos vaganti offerunt sese crebriora, quàm ut idoneè heic adferantur; plura, quàm ut delectum patiantur.

12. Demus autem certò victurum fuisse: at cum populi diris: at cum ignominiâ perenni: at cum perpetuo animi morsu: circumlato quippè ubiq; secùm domestico illo tortore, qui surdo verbere, qui diris angoribus improborum mentes eum in modum inquietat & exagitat: ut nunquàm non Nemesin ultricem accinctam flagello ante oculos versari arbitrentur. Quæ quidem mala vir bonus non carcere solùm ac quovis cruciatu, sed & ipsâ morte longè magis extimescit, usq; adeò morti succumbere satiùs esse ducit: quàm dedecori: ratus quod res est, immortalitatem esse pro veritate ac justitiâ mori: vitæ brevem esse cursum, gloriæ sempiternum: & cùm sit omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, quæ necessitati deletur, Reipubl. potiùs donata, quàm reservata naturæ videatur. Papiniano certè è forti morte plus laudis & gloriæ contigit, quàm ex ignavâ vitâ adulationibus emendicatâ. Nam quod in Antonium de Cicerone Paterculus, *Famam gloriamq; factorum ac dictorum adeò non abstulisti, ut auxeris: omnis posteritas illius in te scripta mira-*

ra-

rabitur, tuum in eum factum execrabitur: hoc idem de Papiniano, qui tàm generosâ mente Caracallæ crudelitatem tulit, jure dici potest meritissimo. Jacet inferenti major, nullâq; adeò re quàm morte, non ambitiosâ illâ, sed longè honestissimâ, quippè pro veritate & virtute obitâ, nobilior. In quem rei post-usum quæris? dicam verbis Epicteti, interroganti apud Arrianum, quid ergò promoverit Helvidius Priscus, qvùm unus esset, hunc in modum respondentis: *τί δ' ὠφελεῖ ἡ πορφύρα; τί γὰρ ἄλλο, ἢ διαπρέπει ἐν αὐτῷ ὡς πορφύρα; καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ καλὸν παράδειγμα ἔκκειται;* h. e. *Quid ergò promovet in veste purpura? Quid enim aliud, nisi quid & in sese eminet ut purpura, & ceteris honestum exemplum præbet?*

18. Atq; heic quidem dùm Epictetum nomino, ejusdem Scholiastes Simplicius, aure mihi vulsâ aurum contra carum ultrò dictat monitum, ad Epicteti Enchiridion capite XXXVII. sic nimirùm scribens: *Neq; verò Magistratibus obsequi tantùm, sed & operam, qui possunt, navare debent, atq; existimare, in iis niti salutem civitatis. Sin autem verbo tantùm Principes erunt, & magistratûs officia negligent: improbandi quidem illi erunt, ut sunt improbi: sed quod magistratui convenit, eis præstabitur, ut & principatum eis deferamus, & iis in rebus pareamus, QVIBUS ANIMUS NON LÆDITUR.* Quæ postrema verba, quisquis Politicæ, quisquis Jurisprudentiæ operam navas,

tanquàm si ex tripode profecta essent, animo sodes imbibe: in succum & sangvinem converte: ac Securim adeò illam Papinianéam (loquentem audis politissimùm Jureconsultum) *legibus à Papiniani acumine profectis omnibus potiorem habe: innumera continere mysteria politica omnibus veræ Philosophiæ decretis instruere te posse, nunquàm non probatum ac persvasum tibi esto. Lucrum vel damni metus si vacillantem in viâ ingenuæ virtutis te reddit: Papiniani perseverantiam suppone. Periculi si tempestas, favoris vel aura de recto cursu satagit demovere; custos tibi, dux atq; comes, sit Papinianus. Summus ille splendor virtutum exprimat ruborem, si in te haut efficit Religio Christiana, quod suo illi alumno Philosophia præstitit Lenoniana. Hic verus studii tui fructus, hæc propria est gloria Philosophiæ nostræ non simulatæ: ut nihil ad gratiam, nihil ad aulæ vel vulgi auram nec facias, nec dicas: nil, quod contra DEUM, contra naturam, contra honestatem sit, ullo jure existimes defendi posse.* Huic utiq; consilio si perpetuò & ubiq; auscultes, næ tute tuis rebus videris, & cavebis malo, si sapias modò. Francisci Olivarii Galliæ Cancellarii feralē exitum quis sine horrore legat? Vir erat, ut describit eum Thuanus, svavitate ingenii, prudentiâ, rerum usu & integritate clarus. Is tamen, quòd sententiæ latæ in Merindolianos subscripsisset, atq; alia, reluctante conscientiâ crudelia atq; impia suffragio suo comprobâsset, morbo implicitus, inter voces desperationis plenissimas animam exhalavit.

Christ. Besold. in comment. Secur. Papin. n. 4.

vit.

vit. Nec plura nunc in hanc ſententiam lubet; ne fortè aut me ἀμετροεπῆ eſſe, aut cùm præter ea, quæ magnus ille Aſtrææ ſacerdos, ævi ſui juriſperitorum decus, Matthæus Weſembecius, de Papiniano ſcripſit, eruditisſima quoq; exſtet Petri Heigii Antecesſoris in Academiâ Witembergenſi eminentisſimi oratio, haut modò vitæ, mortisq; hiſtoriam, & officia Jureconſultorum maximè eximia, ſed & vindicias libertatis viri maximi adverſus Bodini contrectationem continens, actum agere, quæq; ab illis dicta ſunt, moleſtisſimâ iteratione repetere velle, quisquam clamet.

Legitur ca. VVeſembec. orat. tom. 6. orat. in Acad. VVitemb. recit. & alibi.

14. Leguntur porrò hujus juſticiæ martyris elogia quædam inſignia, cùm in jure noſtro, tùm apud Scriptores alios, v. g. Spartianus *juris aſylum & doctrinæ legalis theſaurum*, Gordianus, Carus, Carinus & Numerianus Imperatores *prudentisſimum*, Juſtinianus *pulcherrimum, ſplendidisſimum, maximum, acutisſimum, virum ſublimisſimum præfectorium, excelſi, ſummi, acutisſimi ingenii virum & meritò ante alios excellentem*, nuncupârunt.

l. 12. C. [illegible] leg. l. 16. C. d. fidei com. Conſt. Omnem de jur. doc. rat. l. 1. C. d. jur. vet. enucl. l. 6. §. [illegible] C. de inſtit. & ſubſtit. l. 30. C. d. fideic. §. ſed qu[illegible] ſtipulationes. Inſtit. de [illegible]eic. hered.

15. Et verò quanta ejus olim fuerit autoritas, vel exindè clarè apparet: quòd ſapiens antiquitas adeò eum venerata fuit, ut ſtudioſos juris Papineaneos appellari, ejusq; memoriam peculiaris diei feſtivitate & lætitiâ celebrari jusſerit: quod item, cùm ex conſtitutione Theo-

dosii & Valentiniani A. A. responsa prudentum numerentur, non ponderentur, ità ut major numerus autorum vincat; inter pares sententias ea obtinere jussa sit, in qua Papinianus fuerit, qui quemadmodùm singulos vincebat, ità non vincebatur ipse nisi à duobus: infirmatis ob id etiam notis & animadversionibus Ulpiani & Paulli in libros Papiniani: quòd deniq; Justinianus, etsi hoc postremum abrogarit: ex quo nimirùm placuit illi, ut compositoribus Digestorum par esset atq; eadem omnium Jurecconsultorum autoritas, pro ut ex scriptis eorum libros quinquaginta conficere debebant, ità ut quorundam dignitas & præstantia aliis non polleret, & ex opinione majoris numeri autorum non esset judicandum, sed pro ut meliùs & æquiùs viderent: tamen quo ad cetera honori ejus non tantùm nihil detraxerit, sed multum etiam adjecerit. Præterquàm enim, quòd cùm docendi discendiq; methodum novam præscripsisset, quinquennio integro absolvendam, tertii anni Auditores Papinianistas appellari, quòd eo duce ad sublimiora juris præcepta discenda veniant, ac festi illius solemnitatem illibatam conservari voluit: Papinianum etiam penè integrum, quod in nullo prætereà juris autore fecerat, inter digesta & edita à se antiquorum Jurisprudentum monumenta nobis reliquit.

l. 1. §. 6. C. de vet. jur. enucl.

d. Constit. omnem. §. 4. de jur. doc. ratione.

Heig. in orat. de Papin.

16. Neq; verò ab ipsis discipulis parùm inclaruit gloria Papiniani: quippè cũ ex ejus scholà, tanquam ex equo aliquo Trojano, numero-

ſus prodierit exercitus ſatellitum juſticiæ: atq; ex iis etiam quidam Præceptoris ſui in Præfecturâ Aſſeſſores, ac paullò pòſt ſucceſſores celeberrimi: Ulpianus inquam ac Paullus: quibus Lampridius Conſiliarios & familiares prætereà reliquos Alexandri Imperatoris, principatū in jure vel à pauculis, quæ ſuperant fragmentis, ingenii eorū ſcientiæq; monumentis promeritos, Fabium Sabinum Catonem ſui temporis, Ælium Gordianum Gordiani mox Imperatoris Patrem, Claudium Venatum Oratorem ampliſſimum, Pomponium legum ſcientiſſimum, Alphenum, Africanum, Florentinum, Marcianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venulejum, Tryphoninum, Mætianum, Celſum, Proculum, ac Modeſtinum deniq; annumerat.

17. Illud in minimis habendum minimè, quòd in iis, quæ ad mores pertinent, cū Chriſtianâ religione admodùm conſentiens Papinianus fuit, ac probitatis ejus tuendæ, ſine quâ ſocietas humana conſervari nequeat, tàm ſtudioſus & religioſus: ut mirari quis perſæpè non immeritò poſſit, hominem planè ethnicum tàm piè locutum fuiſſe. Teſtis eſto, præter ſuperiùs laudatam, aurea illa ſententia, quæ extat *ſub titulo, de ſerv. expoſt. Viro bono non convenire credere venditoris intereſſe, quòd animo ſævientis ſatisfactum non eſſet.* Item illa, quæ in lege ſequenti in eundem ſenſum, licet aliis verbis: *Cum beneficio adfici hominem interſit hominis, enim verò pœnæ non irrogatæ indignatio ſolam duritiem continet.* Quid enim potuit meliùs ſcri- *l. 6. in ſeq. d. ſerv. expoſt.*

bere, aut Christiano homine dignius magnus ille Augustinus, qui commune gentium jus esse scripsit, ut ament amicos, proprium verò Christianorum, ut ament etiam inimicos?

18. Familiare Papiniano esse, & quidem ex nostris autoribus soli, prisca aduri verba, seculi sui Phœnix & eximium Juris Romani decus Jac. Cujacius observavit: & caussam addit Petrus, quem dixi, Heigius, quod proprietates verborum anxiè inquireret & subtiliter examinaret; æquitatis interim sic studiosus, ut nemo magis: atq; ut reliqua viri laudum silentio jam transeam, illud haudquaquam prætermittendum, quod ad ingenuitatem illius declarandam pertinet. Cùm enim scriptores pleriq; ità sint affecti, ut pudeat ipsos & errata sua, etsi agnoscere cogantur, fateri, eò quòd arbitrentur, quasi de autoritate suâ multùm deminuatur per ejusmodi confessionem erroneam: Papinianus contrà errore deprehenso sententiam suam mutare, atq; in melius formare minimè dubitavit. Testatur id Justinianus Imperator: sed & hoc idem ipse Papinianus de se ipso profitetur ingenuè.

Cuj. 21. observ. 23.

Joach. Hopper. ad Pandect. jur civil. lib. 1. tit. de JureConsultu pag. mihi 255.

l. ult. §. sed cum C. de furt. d. l. 6. §. ult de usufru. exp.

Tiber. Decian. apol. pro jurisp. adversus Alciat. c. 21. n. 14. & seqq. Freher. de infam. lib. 3. c. 13. in fin. Raguel. ad l. ult. §. sed cum in secundam C. de furt.

19. *Non est levitas à cognito & damnato errore* (sapientissimus ait Seneca) *recedere: & ingenuè fatendum est: aliud putavi: deceptus sum. Hæc verò superbæ stultitiæ perseverantia est: Quod semel dixi, qualecunq; est, fixum ratumq; sit.* Nec

mi-

minùs præclarè Salvianus: *Incidere in falsæ opinionis errorem, priusquàm vera cognoscas, imperiti animi est & simplicis: perseverare verò in eo, postquàm agnoveris, contumaciæ:* ipsumq; adeò Hippocratem ob retractatum errorem, quem circa futuras capitis erraverat, laudans Cornelius Celsus, *magnis viris atq; ingeniis, & magnarum rerum fiduciam habentibus, multaq; nihilominùs habituris convenire ait, etiam simplicem veri erroris confessionem, in eo præcipuè, quod utilitatis caussâ posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, quâ quis antè deceptus est.* Id quod & Quintilianus de eodem Hippocrate asserit, eum honestissimè fecisse scribens, cùm quosdam suos errores confessus est, ne ejus autoritate decepti posteri similitèr errarent. Notum quoq; est de augustissimo illo Antistitum B. Augustino, quòd haud modò *magnæ sapientiæ esse dixerit revocare hominem, quod malè locutus est*, sed & ipse eodem consilio libros Retractationum scripserit: non quidem, ubi à Manichæis ad veràm transiisset Ecclesiam: sed jam senex, ubi diu alios docuisset: immò ubi jam fato suo videbatur proximus: præferens nimirùm privatæ autoritati divinam veritatem & Ecclesiæ ædificationem; ac simul exemplum candoris Theologici posteris ad imitandum præclarùm relinquens.

Cels. lib. 8. cap. 4.

Quint. lib. 3. c. 6.

c. magna. 22. q. 4. Posidon. in ejus vitâ cap. 28.

20. Et verò quid ipsimet Imperatores nostri? Divi certè fratres M. Antoninus & L. Aurelius Verus post deliberationem pleniùs habitam responsum anterius revocârunt: idemq; An-

l. 17. in pr. de jure fisci.

§. 3. circa med. de his, quæ in test. del.

l. 4. l. de temp. & repar. appell. can. grav. 5. q. 9.

Novell. 22. in fin. pr. c. qualiter & quando 12. extr. de accus. Tib. Decian. vol. 1. cons. 8. n. 14. & seqq. Christ. Besold. tr. de appell. c. 2. §. 10. Cujac. ad c. 1. extr. ut nihil. lite pendente innov. Mercer. in Concil. p. mihi 75. M. Fricer. contin. novo de testam. tutel. curid. Elect. c. 18.

Antoninus contra sententiam à se latam humaniorem interpretationem admisit. Rectè utiq; ac laudabilitèr, cùm exercitatis negociis, Iustiniano teste, pleniori subveniri possit veritatis lumine: & ut Canones loqvuntur, veritas sæpiùs exagitata magis splendescat in lucem: nec tantùm adeò propria confessio prolapsionis de autoritate diripiat principali, eidem quantum integritatis & innocentiæ superaddit fama. Ut proindè nec erubescere Princeps debeat, *si quid melius etiam horum, quæ prius ipse dixerat, inveniatur, hoc sancire, & competentem quandoq; prioribus imponere temperationem, suumq; corrigere errorem, qui positus est, ut ceterorum errores corrigat.* Id quod ab eodem Iustiniano factum multoties, vel Novellæ ejus abundè demonstrant.

21. Quin generalitèr in quovis homine sententiæ mutationem in melius non nisi laudi adscribi debere, rectè notat magnus ille τῶν νομικῶν φωςὴρ: eiq; succinens Io. Mercerius IC. celeberrimus, non indignum homine sapiente, ait, dignum maximè probo, ut si perperàm quid sensisse se pòst agnoscat, mutet. Et verò ecquis est, modò sanus & siccus, qui vitio mihi vertat, si repertâ meliore sententiâ veterem abdicem, & rejiciam? Si repertis donis Cerealibus fastidiam glandem & fagum? Cur δεύτεραι φροντίδες in proverbium abierunt, ut σοφώτεραι dicantur, si citra inconstantiæ notam suscipi aut pro-

poni non poſſunt? Quis non potiùs talium Φροντίδων æquo jure politus, quod olim in myſteriis ſolebat, *ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον*, exclamet? *Quod hodiè non eſt, cras futurum*, ait Petronius Arbiter: idq́; ut in plurimis, ità maximè in literis noſtris locum ſibi ſuum vindicare nemo neget. Vix enim eſt, ut quis unquàm ita Lynceus, qui cuncta ſemel pervideat, ac non potiùs quivis, in quovis ſtudiorum genere, quàm hodiè, pridiè ſit rudior, poſtridiè ſit doctior: adeoq́; poſteriorem ſemper diem prioris eſſe magiſtrum, oraculum eſt, non dictum majorum: naturæ ipſius, non hominum ſcitum.

22. Nec de nihilo proindè, quod idem ille Cujacius unicè exoptat: ut qui hoc tempore jus noſtrum interpretantur, Papinianum imitati, quæ vel falsò vel ineptè aliquandò & ſenſerint, & ſcripſerint, ingenuè retractent, nec in eis, contra quam poſteà reſciverint, tàm obſtinato, tamq́; obfirmato animo, uti faciunt, perſeverent.

23. Ejusdem verò moniti vellem reminiſcerentur quoq́;, qui in foro cauſſas agunt, & de jure noſtro reſpondent. Nullus equidem iis pudor obſtaret, quò minùs ſuſceptam, cùm melior videretur, litem, cognitâ ejus iniquitate dimitterent, litigatoremq́; vel ad cedendum vel ad tranſigendum moverent. *In malâ cauſâ felix patrocinium nullum*, inquiebat olim Zaſius: idq́; veriſſimum eſſe nemo negaverit opinor: cui quidem fuerit

Joh. Tarlador. lib. 1. rer. quotid. c. 2. n. 23. Quintil. Inſtit. Orat. lib. 12. c. 7. Gul. Ameſ. de conſcient. & ejus jure lib. 1. c 58. n. 41. Pet. Frid. Mind. in præfat.

ſit-

— — *incoctum generoso pectus honesto.*
Neq; ergò convenit ei, qui Jurisconsulti personam susceperit, qui se bonum patronum esse & dici velit, cujus labor in privatorum periculis castè integreq; versari debet, injusta tueri scientem, aut vanâ spe clientem fallere: usq; adeò, ut qui de casibus conscientiæ disquirunt, velint, ab eo tempore, quo scit caussam esse injustam, teneri adversario de damno restituendo, si patrocinari pergat.

Em. à Sa in aphorism. confess. verb. Advocatus. Joh. Baptist. Magon. de rectâ patrocin. ratione cap. 39. n. 3.

24. Quæ & quot in Posteritatis usum Papinianus reliquerit scripta, ostendit Index ad Pandectarum caput affixus: decem ac novem nempè libros Responsorum de variis consultis, septem & triginta Quæstionum, volumen geminum Definitionum, nec non de adulteriis, librum item de his singularem, continentem responsa, quæ ad legem Juliam de pudicitiâ pertinebat, ἀστυνομικὸν deniq; sive de officio ædilium unum: cujus fragmentum extat *in l. unic. ff. de viâ publ.* cùm apud Græcos ἀστύνομοι vocarentur magistratus, qui curam gerebant viarum publicarum. Ex his autem libris plura, quòd jam antè monuimus, quàm cujusquàm alteriùs Jurisconsulti capita in Pandectas relata: quæ quidem rationes Papiniani gravitate juxtà ac brevitate insignes fuisse, ejusq; summum ingenium ac prudentiam satis superq; testantur.

25. Tametsi verò in Papiniani libros notas scripserint, in Quæstiones quidem Ulpianus, in

has

has simul & Responsa Paullus, in libr. de adulteriis Marcianus; quemadmodùm nimirùm in aliorum libros alii: haud omnes tamen vel fide pari vel fortunâ simili sunt usi. Nam quòd Cæcilius dicebat, obscuritates non assignandas culpæ scribentium, sed inscitiæ non assequentium: & res ipsa docet sæpè, non statim meliùs dicere eum, qui reprehendit acriùs: id heîc quoq; verum esse apparuit. Neq; id mirum sanè: siquidem Jurisconsultis quibusdam singulare videtur fuisse studium Papiniano contradicendi, eumq; notandi, quaquà possent: et haud scio, sic scribente eruditissimo Frehero, an non ex æmulatione invidiâq; natum. Marcianum sanè notas illas scripsisse non tàm interpretationis, quàm reprehensionis caussâ, testatur Franciscus Raguellus: atq; ità ab *Ulpiano* quoq; *in l. XX. de minor.* à Paullo autem *in l. CXVI. de verb. oblig.* iniquè Papinianum notatum fuisse, ostendit idem Freherus: ut Satyricum illud circa injuriam iis occinere liceat:

P. Hig. d. trat. d. Ivepla.

ad l. 1. C. de vet. jur. enucl.

Freher. lib. 1. parerg. cap. 13. & cap. 24.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tàm cernis acutùm,
Qvàm, aut aquila, aut serpens Epidaurius? —

ac vel hoc argumento dici posit, meritò ab Impp. Theodosio & Valentiniano damnatas rejectasq; fuisse & Ulpiani & Paulli ad Papinianum notas: fortè quia plurimum calumniosas, quomodo quidem Paullus ipsemet Aristarchi cujusdam ad Julianum annotationes appellavit. Idem Constantino Imperatori non dis-

d. l. 1. C. Theodos. de resp. prud.

l. debitor. 87. §. fin. de leg. 2.

plicuit: sed Justinianus noster notas haud omnes abolevit, sed multas retinuit: ne videlicet propter rei abusum usum ejusdem meliorem tollere videretur.

l. ult. l. de pen. pass. & resc.

Cap. XXIII.

1. ARRIUS MENANDER, vir magnâ famâ, ingenii & eruditionis, nec privati solùm, cujus, quia frequentioris, ac magis in usu positi, veteres Jureconsulti ferè studiosiores, sed publici quoq; juris doctissimus. Testes ejus rei locupletes conscripti ab illo de re militari libri quatuor: è quibus responsa quædam sanè quàm elegantia, ac fidem nobis abundè facientia, quàm severa fuerit veteris militiæ disciplina, cùm econtrà hodiè libido pro lege sit, pro ordine, pro disciplinâ, sub eodem quidem titulo, quatuor, unum *sub titulo de veteranis*, unum deniq; *sub titulo de liberali caussâ* (etsi variant heic tamen exemplaria, cùm in plerisq; pro Arrio Menandro legatur Furius Andrinus lib. 1. ad edictum) Tribonianus Digestis inseruit.

l. 2. 4. 5. 6. de re milit. l. 1. de veter. l. 29. de liber. causs.

2. Trajanum in iis aliquotiès laudatum invenias, & Hadrianum: nec minùs & Imperatorem nostrum: quem Severum vel Caracallam esse, sunt qui hariolentur, quibus non pugno: cùm præsertim hisce verbis illius meminerit Macer JCtus. *Item Divus Severus & Antoninus eum, qui post quinquennium desertionis se obtulit depor-*

l. milites 13. § 6. de re milit.

deportari jusserunt, quod exemplum & in ceteris sequi nos debere Menander scripsit.

3. Inter Consiliarios quidem augustales fuisse, Ulpiani testimonio constat, libro undecimo ad Edictum scribentis, susceptam tutelam non alios solere deponere, quàm qui trans mare Reip. caussâ absunt, vel his, qui circa Principem sunt occupati, ut in consiliarii Menandri Arrii personâ est indultum. At cujus Principis, Divine Marci, quod putavit Pancirola, an posteriorem illorum alterutrius, id verò certâ conjecturâ vix cuiquam assequi licebit.

l. rerum 11. §. 2. de min.

Panc. thes. var. lect. lib. 2 c. 145.

4. Pomponius libro septimo ac trigesimo ad Mucium Menandri cujusdam interpretis meminit, quem cùm bello captus esset, Romani scientiæ caussâ manumittendo honorare voluerunt, & civem Romanum fecerunt: sed qui ab hoc nostro alius, Laodicensis nempè ille, Rhetor Græcus, quem Suidas interpretem fuisse dicit, ideò haud dubiè, quod, Josepho teste, ex lingvâ Phœniciâ antiquitates Sidoniorũ in Græcam convertit & facta temporum scripsit. Commentaria ejusdem in artem Rhetoricam Hermogenis, & præexercitamenta Minutiani laudat Pancirola: è nostratibus verò Gerhardus Vossius de universo genere demonstrativo scitè ac ubertim duobus scripsisse ipsum libris testatur! Latinum deniq; eum à se factum Natalis comes asserit.

l. postlimin. 1. §. ult. de captiv.

Suid. in verb. Μένανδρος.

Joseph. l. 8. antiq. Jud. l. 5. & 9. c. ult.

Voss. instit. orat. l. 1. 5. p. 195.

Nat. Com. l. 2. di Myth. Rhetoricis cap. 11

CAP. XXIIII.

1. FURIUS ANTHINUS, sivè ANTHINIUS, vel ut alii quoq; legunt, ANTHINIANUS, Papiniani ludo edoctus, eâdemq; ferè ætate, quæ Menandrum tulit, celebri inter alios nominis famâ, nec degener incola mundi vixisse creditur: de quo cum paucissima nobis explorata essent, orationem dilatare non potuimus, neq; debito illum elogio prosequi.

2. Reliquit posteritati partis Edicti libros quinq;: è queis tria duntaxat responsa in Pandectas referre Triboniano placuit: unum nempè sub titulo, de pactis, alterum sub titulo, de dolo malo, tertium sub titulo, de rei vindicatione. In quo quidem hanc esse mendacii pœnam (prout nimirùm multi sunt casus, quibus etiam jure civili mendacium & inficiatio punitur) scripsit: ut reo neganti se possidere, si possidere convincantur, possessio auferatur, atq; actori, qui rei vindicationem instituit, adjudicetur, salvâ illi quæstione proprietatis.

l. si reus 62. de pact. l. l. 15. qui 40 de dol. mal. l. in rem 80. de rei vind.

CAP. XXV.

1. HERMOGENIANUS, non infimæ dignationis Jurecconsultus, ad L. Septimii Severi, & Antonini Caracallæ filii imperium à viris doctis refertur: testem ejus rei laudantibus ipsummet

Her-

Hermogenianum: cùm scribit, ità se invenisse ab Imperatore nostro & Divo Patre ejus rescriptum, h. e. Caracallâ filio, ejusq; patre Severo. Hi namq; Imperatores sic conjungi solent: & ad hos adeò referenda aliorum etiam prudentum verba, cùm inquiunt: *Imperator noster cum Patre rescripsit, Rescripto Imperatoris nostri & Divi Patris ejus continetur, constitutum est ab Imperatore nostro & Divo Severo, Divus Magnus Antoninus cum Patre rescripsit, Rescriptum Imperatoris Antonini & divi Patris ejus. Idq; Imperator Antoninus cum Divo patre significavit, ex Epistolâ Imperatoris nostri & Divi Severi. Imperator Antoninus cum Divo Severo*, præter alios docet U. CL. Jacobus Rævardus. Lampridio Hermogenes appellatur & in numerum eorum, qui è magnâ illâ Papinianâ disciplinâ prodierunt, ipsi magni Alexandri Imperatoris Consiliarii, refertur. l. 14. §. 4. ad SC. Trebell. Rev. lib. 3. variar. c. 10.

2. Scripsit epitomarum juris libros sex, quos, sine ullo autore, quidam Salvii Juliani librorum epitomas esse commenti sunt: autor idem nonnullis existimatus Codicis, qui vulgò Hermogenianus: sed quibus minimè assentior, qui sciam, Hermogenianum atq; Gregorianum codices sub Diocletiano & Maximiano Impp. à duobus juris studiosis compositos: & in Hermogeniano quidem fuisse maximam partem eorundem Impp. constitutiones: in Gregoriano autem & has ipsas, & priorum quoq; Imperatorum ab Hadriano omnium. Ex libro ejus quarto fideicommissorum desumta videtur l. XIV. Cujac. 2. obs. 27.

ad SC. Trebell. nisi mendosa est inscriptio: quod facilè ad lucor, inquit Cujacius, ut credam. Nam possunt quidem hæc legis verba, Nam quod ad jus publicum attinet, non sequitur jus potestatis, Hermogeniani esse aliquo ex ἐπιτομῶν libro. At quæ seqvuntur Ulpiani sunt ex libro IV. fideicommissorum, ex quo & præcedentes & sequentes leges complures desumtæ sunt: atq; ità eam legem in duas esse dividendam & scimus & affirmamus. Hæc ille: cùm interim sententia ipsa elegans sit & vera: cui convenientèr Pomponius, filiumfamilias, ait, in publicis caussis loco Patrisfamilias haberi: veluti ut magistratum gerat, ut tutor detur. In publicis nimirùm caussis paterna jura interquiescunt, sivè ut hanc ad rem Valerius Maximus loquitur, publica instituta potiora sunt privatâ pietate. Quod tamen hactenùs limitandum, ut in iis quidem, quæ vel propriè vel non impropriè publica existunt, patria potestas cesset: non quæ κατά τι, seu impropriè publica putantur. Undè in testamenti factione, nuptiis, & similibus, patria potestas adhuc, vel maximè exserit suas vires.

d. obs. 27.

l. 9. de his, qui sui vel al. jur. sunt.

Val. Max. lib. 2. c. 1. vide & A. Gell. 2. c. 2. l. 77. & seqq. de jud. l. 17. §. filius. de captiv.

CAP. XXVI.

1. VENULEJUS SATURNINUS, nominis inter Jureconsultos non postremi, sub imperio, quà Antonini Caracallæ, quà Alexandri Severi vi-

vitam vixit: cujus rei mihi testes præter Lampridium *lex prima Cod. de excusat. veteran lex item prima C. Quib. non objic. long. temp. præscript.* qvarum illam Caracalla, quartùm unà cum Balbino Consul, anno nimirùm Christi CCXIII. hanc autem Alexander, Juliano & Crispo Coss. anno CCXXIV. ad hunc nostrum scripsère. Quæ quidem temporis ratio vel sola facit, ut erroris arguere liceat non modò catalogum Jureconsultorum, qui in fronte Pandectarum legitur, sed & indicem ex Antonii Augustini viri summi libro de nominibus propriis τῶ πανδέκτȣ Florentini desumtum: in quorum utroq; nimirùm Venulejus noster cum Claudio Saturnino, quem sub Antonino Pio vixisse monuimus, perperàm confunditur: erroris caussâ indè haud dubiè natâ, quòd uterq; Saturninus cognominaretur: cùm tamen ætate longè differant: ipsaq; adeò inscriptionum L.XV. ac XVI. diversitas duos, non unum esse luculenter ostendat. *Gvil. Panci-rol. thesaur. variar. lect. lib. 2. c. 139.*

2. Edidit noster stipulationum libros novendecim, actionum decem, de officio Pro-Consulis quatuor, de pœnis paganorum unum, de publicis judiciis tres, de interdictis sex: undè quidem aliquam multæ leges in Pandectas relatæ famam autori, quam meruit, conciliant, quamdiu Pandectæ erunt, perennaturam.

CAP. XXVII.

1. CLAUDIUS TRYPHONINUS, vel ut alii legunt, TRYPHONIANUS, nonnulli quoq; TRUPHONINUS, Venulejo, ipsiq; adeò Papiniano coævus, vir suâ ætate præstantissimus & honoratissimus: ut qui non solùm in magistratu judicâsse, sed & Syriæ cùm imperio præfuisse circa annum Epochæ Christianæ CCXV. deprehenditur. Quod ut credam, facit lex prima sub Codicis titulo de Judæis: in quâ rescribens ad illum Antoninus Caracallâ Imp. legatum quoddam à Corneliâ Salviâ universitati Judæorum Antiochiæ degentium factum non valere disponit.

2. Videri ad eam legem (ut hoc obitèr monere liceat) Cujacius potest lib. VII. obs. XXX. ubi quidem vir incomparabilis Judæorum collegia hodiè dissoluta, eosq; capite deminutos non usquequaq; probat, quos vetus Christianorum Ecclesia non rejecit, quos DEUS OPT. MAX. præ ceteris, diebus extremis, ad gloriam elaturus sit, qui donationes suas non revocat. Intelligens nimirùm Judæorum ante mundi finem ad Christum, communem Salvatorem, conversionem, magnis quoq; Theologis, cùm ex quamplurimis Scripturæ dictis, quæ huc putantur inclinare, tùm vel maximè ex oraculo D. Paulli, quod legitur capite undecimo epistolæ

ad

ad Romanos, constantèr ac seriò adseveratam.

3. De scriptis Tryphonini referuntur ad Cervidium Scævolam notæ, nec non disputationum unus & viginti libri: è quorum nono desumta est elegans illa de æquo & bono disputatio *in l. bona fides 31. ff. depos.* ubi quidem inter alia rectissimè Tryphoninus, *Æquitatem ex omnibus personis, quæ negocio aliquo continguntur, impleri; & hanc adeò esse justiciam, quæ suum cuiq; ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione.* Quòd sanè dùm negligunt pleriq;, indè quàm sæpissimè contingit: ut cùm adversus unum lenti sunt, adversus alium iniqui existant: atq; ità falsis nominibus (ut est apud Sallustium), clementiam liberalitatemq; exerceant: alienum jus largiendo, vel condonando injurias.

CAP. XXVIII.

1. DOMITIUS ULPIANUS, clarissimi nominis Iureconsultus, immò Iureconsultorum antesignanus, ex Tyriorum in Syriâ Phœnice coloniâ oriundus, quam quidem splendidissimam fuisse, tùm quia regionibus nobilis, serie seculorum antiquissima, armipotens, fœderisq;, quòd cum Germanis percussit, tenacissima, tùm quia ob egregiam in Rempubl. Imperiumq; Romanum insignem fidem ab Severo Imperatore *l. 1. de cens.* *sibus.*

jus Italicum adepta, Ulpianus ipse haud falsò scripsit, ab Hadriano autem, ut Phœniciæ metropolis esset, obtinuisse, impetrante id ei Paullo Tyrio Rhetore, Legato ad Augustum misso, Suidas testatur. Tàm illustrem ergò & præclaram cum haberet noster patriam, ut se dignum illâ præstaret, quasi ex Aristotelis monito, qui glorianti cuidam, quòd magnæ prolis civis esset, respondisse dicitur, ὀ τοῦτο σκοπεῖν, ἀλλ' ὅς τις μεγάλης πατρίδ⊙ ἄξι⊙ ἐστιν, modis omnibus operam dedit.

Suid. in ver. Παῦλος Τύριος ῥήτωρ.

2. Apud Athenæum scriptorem verè πολυμαθέστατον, verè undecunq; doctissimum, & ut paucis multa complectitur Casaubonus, Græcorum Varronem aut Plinium, crebra ejus, inter Deipnosophistas, sæpè, qui descripto illis libris convivio interfuisse dicuntur, reperitur mentio: cumprimisq; in argumento illius operis tanto flagrasse discendi studio legitur: ut summâ diligentiâ de quarumvis rerum nomenclaturâ percontaretur: quæstiones ob id assiduas in viis, ambulationibus, librorum tabernis, balneis etiam proponere, nec oppositorum quicquam concedere solitus, πρὶν εἰπεῖν, κεῖται, ἢ οὐ κεῖται: verbi gratiâ, εἰ κεῖται ὥρα ἐπὶ τῆς ἡμέρας μυρίου, εἰ μύτρα κεῖται ἐπὶ τῶν ἐδωδίμων βρωμάτων. Ex quo quidem factum, ut per jocum à familiaribus suis appellaretur κειτούκειτος. Discendi nempè cupiditas, quæ sola ferè facit, ut plurimùm discendo proficiamus, maximè se se exerit in benè natis ingeniis crebrò quærendo

ro-

rogitandoq; peritiores: unde & Plato inter bonæ indolis notas hanc quoq; ponit, esse ζητητικὸν h.e. talem, qui libenter interroget ac quærat de multis, id quod arguit eum esse φιλοσόφημονα καὶ φιλομαθῆ, quæ duo facere solent, ut tandem fiat πολυμαθής. Neq; abstinuit tamen apud eundem Athenæum Theodorus Cymulcus, quin assiduas Ulpiani de vocibus disputationes graviter reprehendens, cum τὰς ἀκάνθας συνάγειν diceret. τὸν χρόνον ἅπαντα, inquit, περὶ ταῦτα κατατρίβεις ζητῶν, κεῖται, οὐ κεῖται, εἴρηται, οὐκ εἴρηται, ἐξονύχεις τε τὰ ἀεὶ προσπίπτοντα τοῖς συνδιαλεγομένοις, τὰς ἀκάνθας συνάγων, ὡς ἂν ἐχινόποδας καὶ ἀνατρεχεῖν ὀνωνιν ἀεὶ διατρίβων, ἀνθέων τῶν ἡδίστων μηδὲν συναθροίζων h.e. *Totum vitæ tempus in eo studio contrivisti, ut ex aliis perconteris, hæc aut illa dictio alicubi legitur, an non? ab aliquo usurpata est, nec ne? ad ungvem examinans, quicquid in mediū adduxerint ii, qui tecum disserunt, spinas colligens, perindè ac si semper inter echinopodas & asperam onoam* (aculeatarum herbarum genera sunt) *verseris, svavissimorum fructuum nihil coacervans.* Quo quidem loco spinæ vocantur Grammaticorum quæstiunculæ eâdem ratione, quâ apud Antiphanem in epigrammate de Grammaticis dicitur, ἀτυχεῖς σῆτες ἀκανθοβάται: nisi quòd hâc unicâ voce intellectum Antiphani fusiùs expressit Athenæus. Speciatim verò notandam in Ulpiano τὴν κενοφωνίαν is ipse Cynalcus putavit: ut quòd strenam Romanam Græcè vocasset ἐπινέμιδα; quòd ἀπολέμιον dixisset

pre

pro ἀπολϐσόμενΘ, cùm illud periturum, non loturum significet: quòd φαινόλην ἄχρηστον posuisset, pro μηδέποτε ἐν χρείᾳ γενομένην, cùm ἄχρηστον sit contrarium τῷ χρηστῷ, remq; improbam denotet: & si quæ sunt, Athenæo observata, id genus alia.

3. At verò priorem criminationem quod attinet, quàm sit illa nullius momenti, vel ex iis apparet, quæ de curâ Jureconsultorum circa indolem & naturam vocabulorum indagandam jàm ante in Antistio Labeone scripsimus. Sapiens Epictetus verè ac sapienter: ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. h. e. *principium eruditionis est nominum trutinatio*: sicut contrà, juxta Galeni monitum, ἡ τῶν ὀνομάτων χρῆσις ταραχθεῖσα καὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἐπιταράττει. *Conturbatus nominum usus & rerum ipsarum cognitionem perturbat.* Alteram verò satis probabilitèr refutavit eruditissimus Casaubonus, non esse, inquiens, ut viro exactè & sollicitè docto ex Hellenismo mansisse has stribligines arbitremur. Quin veriùs ipse putat, Ulpianum iis vocibus & loquendi generibus usum, vel per jocum, ut eos rideret, qui seriò ità loquebantur, vel ut πολυαναγνωσίαν suam venditaret, auresq; eruditorum in se converteret. Fieri enim potest, ut ista, quorum nomine illic reprehenditur, apud scriptores non postremæ notæ reperisset. Quin multa, ut scimus, etiam Ciceronibus & Demosthenibus, nedùm Poëtis, qui omnia sibi licere volunt, exci-

lib. 3. de simpl. med. fac.

ciderunt, notanda potiùs quàm imitanda. Contrà Ulpianus, cùm in antiquis scriptoribus semel fortassè horum aliquid observâsset, illo uti non verebatur. Hinc illa sartago loquendi, cujus à Cynico Philosopho accusatur.

4. Floruisse Ulpianum jàm tùnc sub Severo & Caracalla, Papiniani Præceptoris, quando is fuit præfectus prætorio, unà cum Julio Paullo assessorem, sub Antonino item Elagabalo Principe, vel potiùs monstro hominis (quem ferè Heliogabalum scriptores appellant) magnis in honoribus spectatum, sed quod vir bonus libidini ejus adversaretur, remotum, Lampridius autor est. Ferre scilicet homo nequissimus non poterat virum sui dissimillimum. Sed occiso illo, ac per plateas perq; cloacas sordidissimè tracto & in Tiberim submerso, sub ejus successore Alexandro Severo, Imperatorum optimo, eodemq; optimæ matris Mammeæ, & ejus quidem Christianæ, filio, honoribus noster restitutus, magister apud illum fuit scriniorum, ac primus doctissimorum consiliariorum, atq; Imperatori quàm maximè fidelium: sine quorum scitu ac consensu nec legem ullam sanxit, nec de ullâ re graviore statuit: sed ità, ut iretur per sententias singulorum, ac scriberetur, quid quisq; dixisset, dato spacio ad inquirendum & cogitandum, priusquàm dicerent, ne ex tempore de rebus gravioribus censere cogerentur.

5. Et sanè quod Princeps iste, homo alienigena, Syrus, juvenis, jàm benè ac felicitèr per-

tre-

tredecim annos sui imperii Romanam administravit Rempublicam, tamq; salubriter multa sancivit & emendavit: id summorum Jurisprudentiâ aliisq; artibus virorum, quos vel suprà in Papiniano ex Lampridio recensuimus, cumprimis autem Ulpiani, qui familiam curialium illorum ducebat, consilio debuit: de quo clarè asserit idem scriptor, ut à famâ tunc publicâ, sæpiusq; numero repetit: *Ideò summum Imperatorem fuisse huncce Alexandrum Severum, idq; multa adhuc sua juventâ, quia Ulpiani potissimum consilia auscultaret.* Adeò nullum majus boni Imperii instrumentum, quàm boni amici: quin summa Principis felicitas, cujus lateri DEUS adjunxit sapiens consilium.

6. Quemadmodum verò Principi jam dicto decori est & ornamento, Rei verò publicæ præsidio summo fuit Ulpianus: ità magno in æstimio vicissim habitum, ex eo æstimare licet: quòd Imperator eum initiò statim haud modò pro Consiliario, ac scrinii magistro, sed & pro tutore suo, invitâ primùm matre, deindè gratias agente habuit, ac Præfectum tandem tàm annonæ quàm prætorio creavit: honorifico insuper non *amici* modò, sed & *parentis* titulo dignatus, ac tantæ erga ipsum confidentiæ, ut solùm ad se se non admiserit alium, solumq; secum neminem passus sit, nisi unum Ulpianum: idq; justiciæ ac fidei ejus singularis meritò. Sed quæ tamen

l. 4. C. de contrah. & comm. stipul. l. 4. C. de locat ubi Cynus ait, vides studiose, quantum possit scientia, quæ facit legum peritum, patrem & amicum principum.

men res Ulpiano invidiam primùm & odium apud milites, mox exitium ac necem peperit.

7. Cùm enim Alexander non ultrà ad placitum & libidinem prætoriani militis, sed ex sententiâ Senatûs Præfectum Prætorio legendum vellet, atq; ob id Senatoriam etiam dignitatem cùm Præfecturâ, contra morem prisci seculi, univisset; ægre ferentes Prætoriani Flaviano suo Christo successorem datum fuisse Ulpianum, insidias ipsi ac vim intentare non cessârunt: cùmq; id frustrà sæpius fecissent, tandem nocturnâ grassatione, ductu Epagathi cujusdam minime ἀγαθȣ͂, dignumq; adeò sævitiâ suâ non multò pòst in Cretâ reportaturi præmium, virum optimum invaserunt, ac nequicquam ad asylum Palatii, atq; adeò Imperatorem ipsum, qui eum anteà aliquoties militum violentiæ, objectu etiam purpuræ, eripuerat, confugientem crudeliter jugulârunt.

8. A quâ quidem eâdem tunc fortunâ Dio Cassius, historiæ Romanæ autor luculentissimus, se quoq; quàm proximè abfuisse testatur, non ferentibus per invidiam militibus, historicum ac politicum in tanto à Principe haberi precio, ut summis honoribus exauctus Consulatui quoq; ejus Collega secundùm adsciceretur. Quorũ insidias & violentiam, ut callidè Dio declinavit: sic ipse Imperator evitare minimè valuit:

luit: ambitione quippè ac truculentiâ C. Julii Maximini Thracis, qui per id parricidium Romani Imperii fasces sibi rapuit & usurpavit, à milite tumultuante, unà cum Matre suâ Mammeâ Augustâ, aliisq; quatuor millibus hominum, in medio nostræ Germaniæ propè Moguntiam, vico Schickflingen/ sive Sicilam, ut Aurelius Victor nomen retinuit, nefariè interfectus, anno Imperii tàm felicis jàm tùnc decimo tertio, ætatis verò nono tantùm ac vicesimo. Cujusmodi quidem exitum, cùm prædixisset illi aliquando Thrasybulus Mathematicus amicissimus, primò lætatus, quòd sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere, mox disputavit, ostenditq;, optimos quoq; violentâ morte consumtos, cùm diceret ipsum Alexandrum, cujus nomen teneret, Pompejum, Cæsarem, Demosthenem, Tullium, & ceteros insignes viros non quietâ morte oppetiisse.

Joh. Fris. de præf. præt. c. 6. p. mihi 182.

9 Atq; hunc ergò in modum Ulpianus Papiniano Magistro non in dignitate solùm Præfectoriâ, sed & mortis genere, æquè cruentæ, successit: vir ille, Zosimi elogio, sapientissimus & legislator optimus, qui præsentia rectè ordinare & disponere, ac futura felicitèr prospicere potuit: sed cujus tamen prudentiæ unicum hoc defuit: quòd Christianam Religionem adeò est insectatus: ut non tantùm sanctissimam Christi fidem, religionis nomine haudquaquàm dignatus, *Judaicam superstitionem*, dixerit: eâdem scilicet ratione; quâ Cornelius Ta-

l. si quis, 30. de pæn.

Tacitus *Christianorum execrabilem superstitionem*, Svetonius *superstitionem novam & maleficam*, Plinius *superstitionem pravam & immodicam, peregrinæ* item *superstitionis mysteria*, alius deniq; Philosophaster, *anilem & impiam superstitionem* appellârunt: verùm etiam rescripta Principum nefaria collegerit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores DEI profiterentur.

[Rittersh. in comm. in epist. Plin. & Trajan. epist. 98. p. mihi 197.] [Lactant. lib. 5. cap. 2.] [Freher. lib. 2. parerg. cap. 11.]

10. Talia nimirùm fuerunt judicia ac sententiæ τῶν ἔξω σοφῶν, sapientissimorum alioquin & summorum in seculo virorum: Christianis, hoc est, omnium superstitionum acerrimis adversariis, superstitionis crimen affigentium: cùm ipsi intereà idolorum cultores essent superstitiosissimi. Abundè id docent Christianorum scripta: ex Latinis quidem, Minutii Felicis, Tertulliani, Cypriani, Lactantii Firmiani, Julii Firmici Materni; ex Græcis verò, Athanasii, Justini Martyris, Clementis Alexandrini, Chrysostomi, Isidori Pelusiotæ, Theodoreti & aliorum: qui & vanitatem idolorum erroremq; profanarum religionum argumentis invictis detexerunt, & Christianæ sanctitatem veritatemq; fortissimè asseruerunt atq; adstruxerunt.

11. Tametsi verò iniqvus adeò erga Christianos Ulpianus extitit, Alexandri tamen temporibus quicquàm movisse minimè legitur: dominum clementissimum ac moderatissimum haud dubiè imitari coactus: qui matris ferè adductus consiliis (an ex vicinia suæ patriæ Syrios

I cum

cum Judæis Christianisq;? (primus ex Imperatoribus Christum coluit, etsi impiè tamen cum Apollonio, Abraha, Orpheo & quibusdam aliis in larario conjunxit, quod Lampridius tradit: quin & Christo templum facere voluit, quod Hadrianus jam anteà cogitaverat.

Mar. Velf. rer August. Vind. lib. 6. p. m. 139.

12. Leguntur porrò Ulpiani honorifica etiam in legibus nostris elogia. Non solùm enim Modestinus *egregium*, *nobilem*, immò & *nobilissimum virum*, *Coryphæum* item *Jurisprudentum* satis amplis encomiis indigitat: sed & Imperatores Diocletianus & Maximianus eundem *prudentissimum*, Justianus autem cum Papiniano eum conjungens *disertissimum*, alibi *sapientissimum*, ut & *summi ingenii virum* appellant. Et id quidem haut immeritò, neq; absq re: editis quippè ab eo compluribus de jure commentariis doctissimis: quæ pleraq; meram æquitatem, moderationem, lenitatem ac Φιλανθρωπίαν adeò spirant ac redolent, ut ad formandos hominum mores, ad Rempubl. benè feliciterq; administrandam, utilissima sint atq; aptissima. Quid enim vir ille excellentissimus ac planè incomparabilis in tot responsis suis, non profert, non adducit, quo & magistratus & subditos ad justitiam, ad æquitatem, ad mansvetudinem, reliquasq; virtutes ethicas & politicas erudiat, instruat & informet? ut nimirùm & honestè vivant, & alterum non lædant, & jus unicuiq; suum tribuant.

l. 2. §. 1. qui pot. inst. l. 2. §. ult. l. 4. in fin. l. 13. §. 2. lund de excus. tut. l. 31. C. de quæst. l. ult. C. de instit. & subst. l. unic §. ne autem C. de cad. tol. Novell. 97. c. 6. §. 1. in fin.

buant. Id quod præter alios luculenter probat Iacobus Bouricius Frisius, libro singulari sive Panegyrico, ad Pandectas Iuris Civilis, eorumq; authores & præcipuè ad Ulpianum.

13. Ut mirum non sit, si quemadmodum modò dictus Imperator in multis gravissimarū rorum condendis legibus Ulpiani opinionem ac sententiam secutus est: ità ipsi quoq; Digestorum compositores tàm frequentia, tàm innumera ferè ex ejus libris capita legi voluerint: tùm titulos alios plures, tùm ipsum etiam Pandectarum volumen ab eodem auspicati: ubi nempè non solùm juri operam daturos instruit, sed & Iureconsultorum munus atq; officium eleganter describit: *Jus esse*, inquiens, *artem boni & æqui: cujus meritò nos quis sacerdotes appellet: ut qui justiciam colamus, & æqui & boni notitiam profiteamur: æquum ab iniquo separantes: licitum ab illicito secernentes: bonos non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoq; exhortatione efficere cupientes: veram, nisi fallor, Philosophiam, non simulatam adfectantes.*

l. 14. C. de her. instit. l. 11. C. de impub. & al. subst. l. 3. C. de ind. vid. l. 15. C. de test. manum. Mar. Nigrin. de Praest. verb. Protestatio. n. 70

l. 1. in pr. & §. 1. de just. & jur. ad quam vide commentarium doctiss. P. Fabri itemq; Joh. Jac. Plebst. in præfat. nov. antiq. disp.

14. Benè me herclè Ulpianus: ac convenienter ei, quod Euphrates etiam, Philosophus Syrus (is qui posteà mortem voluntariam obiit, cùm ei D. Hadrianus propter morbum & senium venenum bibere concessisset, Dione teste) agnoscens, Plinium secundum de judiciariis suis occupationibus querentem ità solebat

Plin. lib. 1. ep. 10.

consolari: ut affirmaret, *esse hanc Philosophiæ & quidem pulcherrimam partem, gerere negocium publicum, cognoscere, judicare, promere & exercere justitiam.* Hæc enim omnia nemo non videt propria esse Jureconsultorum munera. Græci dicunt Φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, id est, Philosophiam tractare utiliter ad vitã & rei gerendæ caussâ. Quod qui faciunt *Sophi, Cati, Sapientes* dicti. Et è Romanis quidem, qui utrâq; re excelluerunt, ut & doctrinæ studiis, & regendâ civitate Principes essent, exempla omnibus nota sunt, nobis hoc loco ad commemorandum minimè necessaria. Apud Græcos septem fuisse dicuntur, qui *sapientes* & haberentur, & vocarentur. Hi omnes, præter Thaletem Milesium, civitatibus suis præfuerunt. Neq; desunt tamen, qui credant, Ulpianum id ipsum sic posuisse in invidiam & contumeliam Philosophorum, ac Jureconsultos vocâsse Sacerdotes justiciæ veros: cùm Stoici suum sapientem verè Sacerdotem profiterentur. At Ulpianus eorum adsimulatam, non veram nec sinceram Philosophiam prædicat: in solis quippè meditationibus consistentem, non autem publicis utilitatibus accommodatam: cùm tamen ex Socratis quoq; (qui Apollinis ipsius oraculo mortalium omnium sapientissimus pronunciatus fuit) sententiâ nec recta πολιτεία ἀφιλόσοφος καὶ ἀπαίδευτος πρᾶξις, nec vera Philosophia ἀπολίτευτος ἀπραξία esse debeat: prout is fusè hæc disputat apud Platonem sexto de Republicâ.

Strabo lib. 13.

Ad Turneb. lib. 8. advers. c. 20.

v. Marq. Freher. lib. 1. parerg. c. 1.

14. Quic-

14. Quicquid sit summa Philosophiæ cum Jurisprudentiâ cognatio, & quasi concentus consensusq;: ut caussæ nihil sit, quin præclarissimi Antecessoris sententiæ subscribam, *eos demum bonos esse Jureconsultos, in cognitione pariter atq; usu Jurisprudentiæ serio qui philosophantur: & pro optimis ab omnibus haberi debere Philosophos, non inutilibus speculationibus occupatos, sed qui summi illius Philosophiæ Boni (justitiæ nempe & coronæ virtutum omnium) compotes & participes in Republ. quamplurimos reddant.* Christ. Besold. in templo justiciæ, n.

15. Certe hæc una vel saltem præcipua videtur ratio, ex quâ non dubitat idem Ulpianus concludere: *sicut Philosophia quidem res religiosa est, sed cujus munus sit, mercenariâ operam spernere, ita civilem quoq; sapientiam rem esse quidem sanctissimam, sed quæ precio nummario non sit æstimanda, nec dehonestanda.* O mentis aureæ dictum bracteatum! Cui geminum germanum, quod de ipse Philosophiâ scribit Themistius oratione quartâ: καὶ γὰρ εἰ σεμνὸν τὸ σχῆμα καὶ ἀληθινὴ ἡ σοφία, ἀλλ᾽ οὐ χρῆ γε αὐτὴν καταβάλλειν, καὶ ἀργυρίου δεικνύναι ἀξίαν. O pulcherrimum, inquam, monitum! vel ideò paulisper examinandum, quod magnificentiùs æstimare Jurisprudentiam haudquaquam Ulpianus potuit. Politicam sive *civilem sapientiam* appellat, quia nimirum civitates regit & conservat: *rem sanctissimam* nuncupat, quia justiciam, quâ nihil sanctius est, format, illustrat, tuetur: meritò *sanctissimam*, quia Astræam colit, magnam l. 1. §. 4. & 5. de extr. cogn. v. Diod. Tulden. orat. de consultiss. ad Jurispr. viâ.

illam Deam: huic consecrata est. *Sanctissimam* quoq; quia *sacra res consilium* proverbio dicitur, consilii autem copia penes Jurecconsultum est & à civilis sapientiæ fonte manat. Jurisprudentiam igitur, quia sacra est, precio nummario æstimandam, dehonestandamvè Ulpianus negat: neq; igitur lucrum & ingentes divitiæ Jurisprudentiæ finis sunt, sed æquitas & publica utilitas: neq; avaritiæ, sed justitiæ voto colenda est.

16. Humiles tamen ac sordidæ animæ, quibus lucri odor svavis est ex re quâlibet, heic quoq; lucrũ vel maximè sectantur: atq; sic cum Iasone & Argonautis non ad Astræam; sed ad Medeam & auream pecudem palàm eunt: vulturii præsertim illi togati, ac Cerberi forenses,

Qui litium si sit nihil, lites serunt,

quibusq; adeò unum studium est, inimicitias, accusationes, odia & injurias civium fovere,

Multiplicem ut fructum reddat cum fœnore campus.

Mich. Hospital. lib. 2. epist.

Lingvam, calamum, fidem, magno innocentiæ malo, venalem habent, ex magnitudine munerum justum honestumq; æstimantes.

— — *ibi fas, ubi maxima merces.*

Neq; ullum est tàm tetrum facinus, cujus non suscipiat patrocinium ac defensionem Advocatus. Nulla contrà est tàm aperti juris caussa, cui non criminationis ruina & tempestas a canibus curiarum asseclis concitetur: non quòd deceat nimirùm curantibus, sed quid prosit. Ita fa-

fama, fortuna, ſalus miſerorum ludibrio habetur, quicunq; ſe, ductu auſpiciisq; talium causſidicorum, credunt tribunali.

17. Enimverò non infiteor, ut ad honores parandos, ità & ad opes honeſtè acquirendas, hoc ipſo ſtudio, quo ſublato nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe, quid ſuum, quid alienum ſit, quod ſi non modò oppreſſum, ſed & deſertum, aut negligentiùs obſervatum erit, nihil eſt, quod quisquam ſe habere certum, aut â patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur, quæ verba ſunt oratorum Principis, vix quicquam eſſe accommodatius: ut quod ille ait, locum heic habere nequeat.

In ſteriles campos nolunt juga ferre juvenci:
nec de nihilo adeò ſit, quod Sanctus Gregorius, à miraculis, quibus claruit, θαυματȣργὸς dictus, in oratione Panegyricâ, quàm à Magiſtro ſuo Origene diſceſſurus grati animi ergò in magnâ hominum frequentiâ habuit, inter alia ſcriptum reliquit, cùm magnam & in ſermone & jure Romano experiretur difficultatem, à ſuo ſibi doctore animum ſubindè fuiſſe additum, & excitatam in ſe diſcendi alacritatem, propoſitâ oſtensâq; illâ ſpe, fore ipſi diſciplinam & cognitionem juris Romani (quo omnium Imperio Romano ſubjectorum hominum res gubernarentur) pro maximo viatico atque ſubſidio, quod ipſe Græcâ Lingvâ μέγιςον ἐφόδιον vocat.

18. Quis Baldum nescit, ex solo substitutionum agro & fundo benè culto XV clↄ aureorum se refecisse gloriari solitum? Allegant id exemplum, ut utilitatem ejus materiæ commendent, pleriq; nostratium, & inter eos eruditissimus quoq; Chifletius, perquàm facetè subjiciens. *Si igitur refectus ac reditus illo tempore, quo vilis erat annona responsorum juris, tanti fuit; videte, quid tempore nostro sperare debeamus, quo ita exardescit, ut nulla sit uberior messis, nulli quæstus æquo desluant ab Jove majores.* Cui quidem non absimile est, quòd idem alibi eam juris partem, quæ de fideicommissis agit, commendans in hæc verba scribit: *Dicam audactèr, nullus est in jure locus illo potior, in quo de fideicommissorum jure quæritur. Hinc pendent fori ac judiciorum pinguiores qvæstiones, hoc est, ut sic dicam, Jurisprudentiæ ipsum semen, hæc verò aurea seges, quam non metet quisquam, nisi qui titulum hunc suis fuerit metatus spaciis.* Sed rectè tamen Chifletius, cùm priori loco addidit: *se non tàm ad utilitatem auditores suos vocare, quàm ad pulchritudinem & honestatem:* quippè cùm reverà fructus ille magis sit, quàm finis: aut certè finis tantùm accessorius, & minus-principalis. Animus ingenuus potiores sibi fines, quàm panem lucrandum, ut loqvuntur, aut molam farinariam habet propositos: non, inquam, studio habet, à clientibus duntaxat stipem colligere; non ex eorum sordibus splendorem quærere; non vocem & fidem vendere, quæq; alia, fas & nefas

Chifl. in præfat. de substit.

con-

confundens, avaritia dictat; sed licitum ab illicito distingvere, æqui & iniqui limites subtili discrimine designare, Reip. & singulis consulere; mores, leges, instituta publica examinare, interpretari, & custodire. Idq; ipsum est, quod Justinianus noster cùm alibi, tùm in proœmio Digestorum nobis insinuat, ubi ait, finem studii legitimi esse: *ut fiamus optimi Justiciæ & Reip. ministri.* Item, *ut justiciæ satellites & judiciorum optimi tàm athletæ, quàm gubernatores in omni loco ævoq; felices.* Hæc non alia mens Justiniani: ut proindè svavitèr ridendos se præbeant, qui cupiditatibus suis blandientes, vulgatum illud, ex ejusdem Novellâ primâ, quòd leges μήτε ἐν πενίᾳ ζῆν, μήτ᾽ ἐν ἀθυμίᾳ τελευτᾷν h. e. *neq; in paupertate vivere, neq; in anxietate quenquam mori* permittant, nunquàm non in animo & ore habent: sed id malè, atq; imperitè detortum ac depravatum: cùm Imperatorem inibi loqui de lege Falcidiâ, ejusq; fructu & utilitate, textum ipsum aspicienti satis sit manifestum. *v. Coras. 7. miscell. 23. Rittersh. in expos. method. Novel. p. 2. c. 1. n. 16. Eb. Sperck. in Synops. Exegesi juris Cæs. p. mihi 232.*

19. Extat contra caussidicos hujusmodi turpilucri cupidos elegans rescriptū * Valentiniani & Valentis AA. ad Olybrium Præfectum Urbi. *Apud Urbem Romanam etiam honoratis, qui hoc officium putaverint eligendum, eò usq; licet orare, quòusq; maluerint, videlicet, ut non ad turpe compendium, stipemq; deformem hæc arripiatur occasio, sed laudis augmenta per eam quærantur. Nam si lucro pecuniâq; capiantur: veluti atq; objecti, atq; degeneres, inter vilissimos nume-*

* l. 6. C. de postul.

rabuntur. Legiturq; in eandem sententiam Poëtæ Germani ad studiosos epigramma haud inscitum, nec indignum adeò, quæ tàm præclaræ Ulpiani sententiæ, quæ vel sola fidem nobis facit, quàm fuerit ille (licet alioquin avarissimi mortalium haberentur Syri)

vindex avaræ fraudis, & abstinens
ducentis ad se cuncta pecuniæ,

illustrandæ huic etiam transscribatur,

Joh. Stigelius.

Non ut divitiis, non ut sis splendidus auro,
Non ut sis tituli magnus honore tui:
Non ut Serrano videare superbus in Ostro
Dandam operam sanctis legibus esse putes.
Verùm ut justiciæ possis servire, tuoq;
Officio præstò civibus esse tuis.
Hunc tibi proponas finem: sic illa sequen-
(tur
Omnia, quæ verus præmia poscit honor.

20. Alitium protelandarum sive *vitiliti-gandi* studio (vocabulum id Catonianum, quod ille litium osor maximus ex *vitiis* & *litibus* componebat, autore Plinio) quantoperè abhorruerit Ulpianus, argumento est, quod scribit alicubi, *Prætorem ejus factum non improbare, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpiùs litigaret. Hæc enim verecunda cogitatio, ut ipse ait, ejus, qui lites execratur, non est vituperanda.* Ad quem quidem locum, quid Iohannes Alexander Brassicanus Viennensis IC. commentario

l. 4. de alien. jud. mut. emiss.

rio in Salvianum annotarit, operæ precium cognoscere. *Quid simile*, inquit, *reperias in nostri seculi Jureconsultis, quorum futelis (cautelas dicere volui) jam olim omnis æquitas corrupta est, lites creverunt & etiamnùm crescunt. Controversiis autem dirimendis tantum abest, ut aliquis eorum manum admoveat, ut multi libentius etiam frigidam suffundant: adeò ut verum sit, quod ille dixit, solis illis vel in medio foro concessum esse latrocinium.* Hæc Brassicanus de legũ non tàm consultis, quàm Sycophantis: à quibus ob id bonos excipi velim: qui vomicis istis & carcinomatis fori, καθάπερ τις ὁδίτης πολλῷ πλήθει ῥύμῃ φερομένῳ τὴν ἐναντίαν ὁδεύων ὁδὸν h.e. *tanquam viator aliqvis magna hominum multitudine eodem itinere cum impetu pergente obviam se ferens ac resistens*, ut B. Chrysostomi comparatione heic uti liceat, contrariâ viâ profecti, rem sanctam Iurisprudentiam non nisi sanctè, hoc est, integrâ conscientiâ, candidè & sincerè tractant: ac sanctioris ob id vitæ, quàm fratres Prædicatores vel alii religiosi (sicut ante seculum integrum scripsit Thomas Ferratius IC. ac Professor Patavinus, autor cautelarum novarum ultra Cœpollam, & tradidit ante illum Cardinalis Hostiensis Henricus) conditione censentur: haud illi quidem multi fortassis, sed tantò preciosior deficientis aurei generis favilla.

in præf. ad Curd. Ludovicum Ambrosianum, Episc. Albanensem.

in proœm. sum. na. sua n. 8.

21. Et verò quæ Ulpiani de fugiendis litibus mens ac sententia fuit: eadem quoq; B. Augustini fuisse videtur, cùm is in hæc verba scribit: *Nolo habere, cum quo litigem. Multò est mihi amabilius inimicum non habere, quàm vincere.* Quò & pertinet elegans illud Rudolphi I. Austriaci Cæsaris augustissimi dictum: *Quicunq; tres habet lites, duas, si poterit, componat, hoc est meum consilium:* relatum & commendatum à Justo Lipsio, sed addente hoc insuper: *etiam tertiam litem componendam esse, ne ullum huic cerbero caput supersit.* Nimirùm,

Lips. miscell. epist. 78.

— *Res atteritur longo sufflamine litis,*

Juven. Satyr. 16.

ait Juvenalis: ipsisq; adeò rerum experimentis docemur, satiùs esse in multis decidere pecuniâ motas lites, aut movendas, quàm ulteriùs ad incertum judiciorum eventum progredi: maximè cùm est in re tenui, importunamq; ferè pauperiem patitur, qui animum ad litem instituendam applicat. Lites enim agere, suscipere, concire, divitum præsertim illud est, non pauperum: uti rectè alicubi Chrysostomus: qui & εὕρισον τῶν κακῶν τὴν ἀγορὰν dixit: nec de nihilo adeò aut Martialis illud, qui in caussis, quæ sunt vitæ beandæ, *nullam litem* numerat: aut quod Princeps Comicorum asserit, Poëta non minùs antiquissimus, quàm humanarum actionum scientissimus:

Ant. Mornac. ad d. l. 4. de alien. jud. mut. caussa.

hom. 15. & 28. in Matth.

Stultitia est, cui benè esse licet, eum prævorti litibus.

Plaut. Persâ.

Sed quæ ipsa tamen & id genus alia cum grano,

quod

quod ajunt, salis intelligenda: ne omnes culpare lites, & atro carbone notare, aut cuiquam jus suum dissolutè relinquendi autores esse velle videamur: cum laudem utiq; suam mereantur, quæ justas ob caussas, præsertim si vel nostra, vel eorum, quos fidei nostræ commissos habemus, salus agatur, & quo par est ordine, & quâ opus moderatione, vel intendantur aliis, vel nobis illatæ propulsentur. *Heider. p.1. orat. 15. p. mihi 754.*

22. Illud minimè vel pro auctario laudum Ulpiani prætermittendum: quod sicut decidendi rationibus utitur, ex mediâ haud rarò Philosophiâ petitis: sic quæ ab antiquis competenter tradita, ævi sui maximè consvetudini deputanda censuit. Hinc formula ei usitata: *Hoc jure utimur:* innuens videlicet, illi maximè juri & nos operam dare debere, quod in usu sit, sive, ut Justinianus loquitur, *quod in ipsis obtineat rerum argumentis.* Tametsi namq; juris antiqui memoria non utilis modò, sed & usq; eò necessaria, ut nemo facilè ad scientiæ hujus fastigium pervenire possit, nisi altero subindè oculo ad jus vetus respiciat: quod & ipsum Imperator à juris candidatis plus vice simplici requirit, cujus hoc est inter alia præceptum, *ut nihil antiquitatis penitùs ignoretur:* nimiùm tamen in illo immorari non debemus, sed potiùs ad jus, quo utimur, præcipua nostra studia referre: memores illius, quod ait Plinius ad Aristonem: *Quotusquisq; est tam patiens, ut velit discere, quod in usu non est habiturus?* & quod Iustinianus ipsemet sanxisse *l. 19. de donat. l. 23. l. 152. de R. I.* *proœm Inst. & in fin. ut de ftud.*

le-

legitur? Vetera curiosius perquirere & ad præterita tempora recurrere, confusionis potius est quàm legislationis.

23. Modus nempè in unaquâq; re optimus: ac de omni antiquitate idem sentiendum, quod de Philosophiâ Ennius Neoptolemus ait: Philosophandum est, sed paucis, nam omninò haud placet. Ità ergò degustandum duntaxat ex antiquitate, non in eam ingurgitandum. Degustandum autem tantùm, quantùm necesse est ad juris civilis cognitionem: relicto nimirùm inani studio supervacua discendi: quæ (ut sapientissimus Seneca contendentibus de prioritate scriptionis Iliadis & Odisseæ respondit) *sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant; sive proferas, non doctior videberis, sed molestior;* & de quibus adeò cum Petronio, Satyricorum mordacissimo, dicere liceat: *Hæc ipsa tolerabilia adhuc essent, si ad juris prudentiam ituris viam facerent: nunc & rerum tumore, & sententiarum vanissimo strepitu hoc tantùm proficiunt: ut cùm in forum venerint, putent, se in aliũ terrarum orbem delatos. Et ideò ego adulescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, si nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident. Qui inter meras antiquitates, & nudè philosophicas contemplationes enutriuntur, non magis sapere possunt, quàm benè olere, qui in culinis habitant.*

Sen. lib. de brevit. vitæ c. 13. ubi & alia huc spectantia videre licet.

24. Plura in hanc sententiam notata aliis: nec

nec malè ob id è noſtratibus clarisſimus Heringius, *Quemadmodum*, inquit, *parùm quenquam juverit, habere marſupium plenum monetæ ſignatæ, ſed in provincia illâ, in quâ merces coëmendæ, non currentis, nec, ut ità loqui liceat, expendibilis: ità etiam laterem omninò laverit aulicus is, qui in antiquitatibus Romanis, criticis obſervationibus, emendationibusq́; ac nudis theoricis ſpeculationibus totam vitam conſumſerit, ſi praxees in aliquâ aulâ, ad quam ambitiosè adſpirat, florentis omninò ſit rudis, immò in jure patrio aut provinciali non minùs hoſpes exiſtat, quàm quilibet alius iſtius loci idiota aut ruſticus.* Neq; deſunt viri gravisſimi, qui ex eâdem ratione Iacobi Cujacii, Antonii Fabri, & ſimilium in legibus tractandis retractandisq; inſtitutum non undequaq; probant: tàm ſuperſtitiosè quippè de jure agentium, ac ſi quis in foro Romano verſetur: dignorum ob id, qui ad Elyſios campos relegentur, ut ubi jus dicant Romanis. Stulta eſt phantaſia.

A. Hering. epiſt. dedic. tr. de fidejuſ.

Chr. Beſold. diſſert. de proam & leg. p. mihi 166.

— — *difficiles habere nugas*

* Illud verò non ſtultitiæ tantùm, ſed & ſummæ eſt temeritatis, ſi quid usquàm tuo judicio corruptum, falſum & abſurdū occurrat, mox in Tribonianū declamare & hujus facinora: *nihil Triboniano indoctius, ſtultius*, & quæ ſexcenta alia in eū pasſim inclementer & impudenter dicuntur:

* v. Reinh. Bachov. ad part. poſter, Chil, Ant. Fabr. in cor. 3. dec. 77. n. 7.

cùm

cùm tamen, qui iniquissimus illi est Suidas (& tamen fortassis mentitur Grammaticus,) eruditionis laudem minimè detrahat. Sic enim de eo ὅτι παιδείας εἰς ἄκρον ἀφίκετο, quomodo & Procopius παρρησίαν παιδείας disertis ipsi verbis tribuit.

25. Sed & hoc par est monere, doctis viris observatum: Ulpianum in consulendo æquitati magis studere, quàm juris rationem præfractè tueri solitum. Cujus rei insigne exemplum (ut alia modò omittam) suppeditat l. XXI. de rebus creditis: ubi cùm proposuisset, putâsse quosdam, non posse cogi creditorem partem debiti accipere, partem judicio persequi (quod juris ratio exigit) subjecit, *humaniùs facturum judicem, si actorem compulerit ad id accipiendum, quod ei offeratur: cùm ad officium ejus pertineat lites deminuere.* Neq; verò aliam ob caussam, quàm ad jus summum temperandum excogitata ab eo fictio brevis manus: sed de quâ plura dicendi heîc non est locus.

Mercer. in Concil. f. mihi 93.

r. not. in l. 3. de reb. cred.

26. Neq; verò minùs memorabile, quòd quamvis haud exiguam communis opinionis habitam fuisse ab Ulpiano rationem, aliquot ejus leges evincant, in quibus sic respondisse legitur: *Generaliter ista omnes opinantur, & utile videtur: Quam sententiam cottidiè increscere & invalescere videmus: Sanè crebrior apud veteres opinio est:* idem tamen ad præbendum veritati assensum quàm ei, quod pleriq; ajebant, cum re-

l. 4. in pr. de his, qui not. infam. l. 12. §. 26. de instr. vel instr. leg. l. un. in pr. de off. quæst.

repugnarent istis in quæstione ibi propositâ veræ & concludentes rationes, longè pronior fuerit. *Si servus*, inquit, *petitus vel animal aliud demortuum sit sine dolo malo, & culpa possessoris, precium non esse præstandum pleriq́;* (communis opinionis patroni) *ajunt: sed est verius, si fortè distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari.* Et rursus: *Etsi pleriq́; negent, tamen propter æquitatem Marcelli sententia est admittenda:* Iterumq́; *Quæsitum, an frumentum & instrumento cederet? Et plurimis non placet. Sed ego puto contineri, & sic Servium respondisse referunt auditores ipsius.*

l. 15. §. fin. de rei vindic.
l. 5. §. penult. l. impens. dotal.
l. quæsitum 12. de instr. vel instr. legat.

27. Enimverò communes hasce opiniones, si sint de casu dubio, nec contra jus apertum, etiam judicando sequi, ex re publicâ videtur: cùm expediat huic non solùm jus certum habere, sed & interpretationem certam: eamq́; à plurium graviorum autorum, non unius atq́; alterius scioli vel novatoris judicio æstimandam: ac vel tùnc maximè attendendam, si ad eam rerum quoq́; judicatarum, superiorumvè autoritas accesserit: ne contingat alioquin, ut pro capitum varietate modò ad orientem, modò ad occidentem, modò ad septentrionem, modò ad meridiem sententiæ tendant, sicq́; supremarum curiarum definitiones non aresta, sed potiùs lora ludrica dici mereantur, quemadmodùm alicubi eruditissimus Budæus tractat.

Christ. Besold. ad l. 7. & 8. tit. 1. lib. 1. ff. quæst. 6.
l. 2. §. de orig. jur.
Gerar. Mayn. decis. Tnol. 20. sub fin. lib. 3.

28. Præclarè, ut multa alia, scriptum reliquit Oldendorpius: *Est aliquid cum multis sentire*

tire.

tire, ubi res est dubia, nec constat certâ ratione, errorem subesse: nec malè adeò ipsemet Baldus, *Rarò loquitur benè, qui loquitur contra omnes.* Sed eo tamen semper adhibendo temperamento, cujus ipsemet Justinianus autor: *nisi pauciorum fortassis sententia rationibus sit potior.* Talem nimirùm, ità communi relictâ, sequi omnimodò debemus: Justiniano iic iterùm monente: *Neq; ex multitudine autorum, sed quod melius & æquius est, judicatote: cum possit unius forsan & deterioris sententia & multos & majores in aliquâ parte superare.* Quo facit Pontifex Clemens III. quandò inter plures opiniones illam in decidendo sequitur, quæ meliori & subtiliori (intellige de subtilitate veritatis indagativâ) nititur ratione. Id quod notandum contra vulgus Doctorum, qui in eo duntaxat investigando laborant, quod ab aliis frequentiori calculo traditum & probatum est, negligunt verò scire, quid tradendum fuerit & probandum. Dinon Tarentinus fortissimus exercituum ductor, in bellico consilio, plurium centurionum sententiis consentientibus auditis, ad solius Præconis diversum proferentis, his verbis applausit: ἥδε κρείσσων· αὕτη κυρία, q. d. *Hæc unius melior: ergò potior hæc erit illâ, quæ plurium autorum.* Id ergò heîc quoq; non incommodè usurpare, & præconibus istis communium opinionum, αὗται πλείους dicentibus, ἀλλ' αὗται βελτίους, regerere aut illud Cottæ apud Tullium obji-

vide elegantiss. Henr. Kennem. de jure retort. lib. 3. thes. 20.

l. 1. §. sed neq;. C. de vet. jur. enucl.

In præf. Pand.

Plutarch. in prov. Græcan.

Cic. lib. 3. de nat. Deor.

objicere liceat: *Rumoribus mecum pugnes Balbe: ego autem rationes à te requiro.*

29. Multitudo utiq; errantium errori non parit patrocinium: si præsertim id agatur, ut juri divino vel naturali vis fiat. Tunc enim veritati, etiam cum pertinaciâ, inhærere animæ salus æterna nos monet. In Synodo sanè Nicenâ unius Paphnutii oratio obtinuit, ut sacerdotibus permitteretur conjugium: proindeq; Athanasius, in disceptatione πρὸς τοὺς πλήθει μόνῳ κρίνοντας τὴν ἀλήθειαν, *multitudinis judicio minimè standum esse* rectissimè monet: adductoq; exemplo Phinees, qui solus placavit Deum; Stephani, qui solus certavit sub imbre lapidum pro veritate, εἷς εὐδοκιμῶν, inquit, προτιμότερος ὑπὲρ μυριάδας αὐθαδείᾳ σεμνουμένας, h. e. *major honos habendus est vel uni probatæ fidei viro, quàm decem aliorum millibus, qui se insolentiùs jactant.* Idemq; rursus, καλὸν, καλὸν καὶ τὸ ἕνα δίκαιον παῤῥησιάζεσθαι καὶ τὸ πολλῶν συμφωνίαν ἄδικον λύεσθαι; i. e. *Pulchrum est, pulchrum, sive unus aliquis, quæ justa sunt, liberè & ingenuè profiteatur, & improbus multorum sensus infringatur.*

Sozom. lib. 1. hist. Eccl. c. 22. Socrat. lib. 1. c. 8.

30. De Orationis genere, quo feliciter usus fuit Ulpianus, quid dicam? Tanta certè in dictione ejus & Latinitas sive puritas & elegantia sive cultus & venustas deniq; sive gratia apparent; ut responsa & leges Ulpiani nemo legat, quin continuò, quamvis natione Syrum, civem tamen Romanū, &, velut Symmachus loquitur,

de ſeptem montibus virum agnoſcat. Adeò quidē, ut Antonius Auguſtinus, magnus alioquin & nunquā ſatis laudatus Juris ſacerdos, cùm Juriſconſultos, inprimis autem Ulpianum, virum ab oriente, Hebræorum, aut, ut ipſe loquitur, Judæorum more loqui putat, quòd ellipſin Græcis & Romanis uſitatam amat, ut cùm ad Edictum ait, *Pro herede autem gerere, non eſſe facti, quam animi* (cujusmodi non pauca congeſſit) aſſenſum noſtrum vix mereri posſit: nihil quippè, Heinſio notante, afferens, cujus non apud Tacitum & Plautum, etiam Homerum, diverſarum ætatum ac lingvarum autores, exempla exſtent. Nam ellipſes, ſimilesq;, quæ ἐνδείας, à Magiſtris dicendi, figuræ nuncupantur, ut fortaſsè magis familiares orienti, ità ſeculis lingvisq; omnibus communes ſunt. Et quæ Ulpianus habet, ex autorum Romanorum conſvetudine ac uſu hæſiſſe illi videntur.

Dan. Heinſ. ad Nonni in Johan. Paraph. Exercit. 10. p. mihi 225. 2 i :. Muret. in Terent. Prolog. Eunuch. A. Schott. 5. obſerv. 34.

31. Ad ipſa porrò Ulpiani ſcripta quod attinet, eorum catalogum Pandectæ nobis exhibent, in quo ſequentes libri recenſentur: ad edictum Prætoris tres & octuaginta: ad Maſurium Sabinum quinquaginta & unus: ad leges viginti: diſputationum decem: Protribunalium decem: de officio Pro-Conſulis decem: πανδέκτου decem: Regularum ſeptem: Fideicommiſſorum ſex: de cenſibus ſex: de adulterijs quinq;: de appellationibus quatuor: de officio Conſulis tres: Inſtitutorum duo: Reſponſorum duo: libri deniq; ſingulares Regularum, de ſponſalibus,

bus, de officio Præfecti Urbi, de officio Præfecti vigilum, de officio curatoris Reipubl. de officio Prætoris tutelaris. Quibus addendi (præter notas ad Marcellum & Papinianum) ex legum inscriptionibus, Opinionum sex: ad l. Aeliam Sentiam quatuor: ad l. Juliam de adulteriis duo: ad edictum ædilium curalium duo: de officio consularium unus: unus deniq; Excusationum.

CAP. XXIX.

1. JULIUS PAULLUS Patavium Antenoris, florem ac decus urbium, quas tellus Itala continet, patriam habuit: cujus quantum fuerit ingenii acumen, quanta juris publici & privati scientia, vel ex eo liquet: quòd contra Labeonem, Papinianum, Ulpianum, aliosq; præstantissimos Jureconsultos, tàm æquales, quàm majores suos, immò & contra decreta Marci Antonini Philosophi Imperatoris, liberrimè sæpiùs doctissimeq; disputare audet? quanta verò autoritas exindè constat: quòd haud modò splendidissimo Papiniano, Præceptori suo, Præfecto Prætorio unà cum Ulpiano assedit, id quod præter Lampridium indicat elegantissima disputatio inter duos illos magnos condiscipulos magni Magistri in *l. Lecta de reb. creditis*, quæ vulgò dicitur, *paucis intellecta*, à Paulo descripta, parcente tamen nomini Ulpiani diversum sententis: sed & præturam posteà, (immò si Bernhardo Rutilio fides,

sed cui Fastorum concinnatores minimè consentiunt) Consulatum quoq; ac deniq; ad Præfecturam Prætorianam, summæ prærogativæ ac dignitatis provinciam, absq; ullo suo ambitu; Alexandro quippè Imperatore sic animato, ut sicut honores gladii nunquàm vendi passus fuit, cùm diceret, necesse esse, ut quod quis emit, idem pòst rursùs vendat, sic invitos, non ambientes Reip. admovendos censeret, virtutis meritô conscendit. Etsi functus eâ nimis breviter, obortâ in eum atq; Ulpianum, duumviros gloriæ & Themidis, prætorianorum invidiá: quam & exitio tandem fuisse Ulpiano, Dio Cassius à suâmet αὐτοψία testatur.

2. Quod si quicquam facit ad conciliandam justam venerationem, etiam à morte principibus placuisse viris, ne hoc quidem Paullo defuit: cui luculentum gloriæ testimonium Diocletianus & Maximianus AA. detulère, *prudentissimum eum* appellitantes: quem Theodosius & Valentinianus Impp. adeò æstimârunt, ut cùm inter veteres Jureconsultos edicto suo discrimen quoddam facerent, *sententias Paulli* sempèr valere præceperint: quem deniq; sacratissimus Imperator Justinianus (ne de Alarico Gothorum Rege dicam, qui Aniani operâ Breviarium juris Romani pro dirimendis litibus ex iisdem potissimùm sententiis confici curavit) tanti fecit, ut nulla civilis juris particula Paulli legibus non exornetur: sicut ipse partem juris intactam aut inexpertem reliquerat nullam.

l. si lib. 11. C. ad l. Cornel. de fals. l. unic. C. Theod. de resp. prud.

3. Atq;

3. Atq; hæc quidem non ad ſuam unius utilitatem, ut ſibi ac ſuis Muſis, quod dicitur, caneret, non ad vanam oſtentationem, ut ſcire tantùm videretur: ſed ut ſcientiã ſuam in commune conferret, ac publicis uſibus impartiretur. Volumina ſanè de jure plura, quàm quisquàm alius, compoſuit: omnes nempè ſcribendo, ipſum etiam Ulpianum, à quo ſolemne fuit ipſi diſſentire, vincens ac multis poſt ſe paſſibus relinquens.

Cujac. in not. ad animad. Rob. l. 1. c. 7.

4. Obſervata autem eſt à viris doctis inter duos iſtos ſub *Papiniano commilitones & collegas illa inſignis, eaq; duplex, differentia, quod nimirùm Paullus in ſuis reſponſis & reliquis commentariis magis ſoleat ſequi ſtrictum jus, & artem ac regulam juris: Ulpianus verò magis inclinet ad æquitatem ſive benignitatem atq; humanitatem, inſuper habito ſtricto jure. Deindè, quod ſtylo etiam ac dicendi genere non parùm diſcrepent, cùm Ulpianus utatur orationis genere eleganti quidem, ſed facili & prolixo: Paulli verò ſtylus (ſicut & Africani & Papiniani ac Scævolæ) ſit haud paullò accuratior, brevior, & nervoſior. Undè fit, ut Paulli leges, tanquàm obſcuriores & difficiliores, magis indigeant operâ interpretis, quàm Ulpiani, qui ſibi ipſi pro interprete eſſe poſſit ſatis perſpicuo.

*Alb. Gent. 5. de nupt. 10. Val. Guil. Forſter. de juris interpr. lib. 1. c. 2. §. 3. n. 8. * v. Conr. Rittersh. Comm. ad l. 23. de 12. l. prothonria, c. 1.*

5. Advocationis officio (quo nihil eſſe laudabilius, ſi purè impendatur, haud immeritò ait Caſſiodorus;) quippè cùm ipſimet Imperatori-

Caſſ. lib. 1. ep. 1.

bus Leone & Anthemio affirmantibus, *qui dirimunt ambigua fata caussarum, suaq; defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigataq; reparant, non minùs provideant generi humano, quàm si præmiis atq; vulneribus patriam parentesvè salvarent*, functum aliquando, & hanc quoq; palæstram exercuisse constat ex lege octavâ & septuagesimâ *tituli de legatis tertii:* ubi refert ipsius, quòd in quâdam caussâ, in quâ postulârat, non obtinuerit: haud quidem ob caussæ iniquitatem, cui ne adfuisse crederetur, ad dignitatem Paulli pertinebat, sed prætore fideicommissario (sic putat Cujacius, à quò alii pleriq; dissentiunt) malè judicante.

l. quæsitum est 78. §. cum vir. 6. de legat. 3. Cujac. 12. obj. 9.

6. Allegat id exemplum Tiraquellus tractatu de Nobilitate, Advocatos nostri temporis monens & cohortans: ne & ipsi ægrè ferant, si quandò in caussâ succumbunt. Etenim:

Tiraq. de Nobil. c. 29. n. 18. vers. Id quod obiter. Barth. Agric. de offic. bon. Advo. c. 2.

Non est in Medico, semper relevetur ut æger.

etsi id habet caussidicina cum ceteris metuendum & grave (verba sunt Ammiani Marcellini) *quòd hoc ingenitum est penè litigantibus cunctis, ut cum jurgia mille casibus cadant, accidentia secus in potestate existiment esse patronorum, & omnem certaminum exitum iisdem soleant assignare, & non vitiis rerum, aut iniquitati aliquoties disceptantium, sed solis defensantibus irascantur.*

Marcell. histor. lib. 30.

7. Interim discant heic quoq; caussarum patroni: cùm eventus litis incertus sit & anceps: in motu quippè ac potestate judicantis posi-

l. 51. de pecul. l. 10. C. de accus. And. Scheff p. 2. q. 13. n. 26. & seqq.

positus: nec novum adeò & insolens, in Rep. quamvis bonis legibus constitutâ, multos *sub justo clypeo perire:* ne ob id clientibus suis victoriam caussæ facilè polliceantur. Id enim qui faciunt, temerarios nimis esse, ac *fumi venditores*, haud injuriâ Duarenus pronunciavit.

P. Heig. p. 1. q. 12. n. 55. Ern. Cothm. cons. 18. circa fin. p. 1. Moll. ad Constit. Elect. Sax. 19. n. 51. 52. ibidemque cloq. R. Rosa in add. p. 2.

8. Quin hoc ipso Paulli exemplo, qui ex Advocato ad summas in Remp. dignitates emersit, abundè firmari potest ad munia publica rectè adhiberi patronos, in causſis componendis cognoscendisq; diligentes, magni laboris, multæ operæ: quorum omne curriculum industriæ in foro (qui ludus ad discendum est) in curiâ, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est: &, ut paucis multa complectar,

Qui juris nodos & legum ænigmata solvant.

Nec id sine ratione: quippè cùm nihil turpius sit, aut esse posſit, quàm eum, qui hanc personam suscipit, ut de causſis civium statuere & judicare debeat, legum ac juris civilis ignarum esse.

9. Inter sententiosè dicta, quæ in legibus Paulli satis multa occurrunt, dignum illud esse, quod præ omnibus tribunalibus & prætoriis cubitum longis literis inscribatur & proponatur, non immeritò magnus ille Freherus censuit: *Non oportere jus civile calumniari, nec verba captare; sed quâ mente quidq; diceretur, animadvertere convenire.* Pertinet ea sententia ad statum Rhetorum, scripti & voluntatis, sivè ῥητοῦ καὶ διανοίας: cujus quidem passim occurrunt in interpretatione legum & edictorum exempla,

Freh. de tut. curaq; testam. cap. 3. l. fin. ff. ad exhib.

in communi hâc ratione fundata: quòd parùm intersit, utrum lex disertis verbis, seu *propaiàm*, ut Ulpianus loquitur, sive expressim aliquid caveat, an verò id per interpretationem & bonam consequentiam, ex legis mente ac sententiâ, eliciatur: cùm alioqui, si verbis legis inhærendo tam abruptè, clausisq; ,quod ajunt, oculis, sine distinctione, sine conditione omni agere, omnemq; aliam interpretationem vel supplementum juris rejicere velimus, nihil tàm absurdum, injustum, atq; impium sit futurum, quod non defendi hoc pacto possit. Et hinc Jureconsultorum nostrorum effata exsurgent: *Scire*

l. 17. de legib.

leges, non hoc esse, verba earum tenore, sed vim ac potestatem.

l. Sed etsi 25. §. 10. §. de her. instit.

Mentem Senatus Consulti attendendam, etiamsi verba deficiant. Ex *legibus tam id, quod ex lege sententiâ descendit, accipiendum esse, quàm quod ex verbis earum.*

l. 6. §. 1. de verb. signif. & 30. de legib.

Fraudem legi fieri, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit: & quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, i. e. dictum à sententiâ, hoc distare fraudem ab eo, quod contra legem fit

l. 29. eod.

Deniq; contra legem facere, qui id facit, quod lex prohibet, in fraudem verò qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit. Quò & pertinet, quòd Theodosius & Valentinianus AA. hisce verbis rescripsêre:

l. 5. C. de legib. vid. Val. Gul. Forster. de jur. interpr. lib. 2. cap. 2. n. 2.

Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas inflictas legibus evitabit, qui se contra juris sententiam sævâ prærogativâ verborum fraudulentèr excusat. Sævam Imperatores nominaret

ret verborum prærogativam: quá cum Menandro calumniosam & Sycophanticam *ἀκριβειαν* appellare liceat: nec aliter hanc improbitatem, Tullius, Rex fori sui temporis dictus, vocavit, *Calumniatoris esse,* inquiens, *officium, verba & literas sequi, negligere voluntatem: cùm in consilio & mente scriptoris, non in verbis ac literis mens legis sit posita.*

lib. 2. ad Herenn. & partit orat. cir. fin.

10. Scripta, ut diximus, Paullus reliquit plurima: quorum hic est Elenchus: ad edictum prætoris octoginta libri: ad Sabinū septem & quadraginta minimùm; Quæstionum (in quibus potissimum, ut ex multis legibus indè desumtis constat, vim, differentias & præstationes conventionum enucleatè considerat) sex supra viginti; ad edictum ædilium curulium sedecim; ad leges Iuliam & Papiam duodecim; Digestorum octo; Regularum septem; sententiarum, imperialium, in cognitionibus prolatarum sive Decretorum sex; sententiarum receptarum quinq; ; ad Vitellium quatuor; ad Neratium totidem; Fideicommissorum tres; tres de adulteriis; ad legem Aeliam Sentiam tres; de officio Consulis tres; Manualiū tres; de officio Pro-Consulis duo; tùm libri singulares, sive μονόβιβλα, Regularū; de officio Præfecti urbi; de officio Præfecti vigilum; de officio Assessorū; de pœnis paganorum; de pœnis militum; de usuris; de jure codicillorum; de officio prætoris tutelaris; de pœnis omnium legum; de gradibus & affinibus; de excusationibus tutelarum; ad SC. Orficianum; ad SC. Tertullianum; ad SC. Veliejanum; ad

SC. Libonianum, ad SC. Claudianum; ad SC. Syllanianum; ad SC. Turpilianum; ad Regulam Catonianam; de extraordinariis criminibus; de hypothecariâ; ad municipalem; de publicis judiciis; ad orationem D. Marci; de tacito fideicommiſſo; de ſeptemviralibus judiciis; de juris & facti ignorantiâ; de jure ſingulari; ad legem Falcidiam; ad legem Vellejam; ad legem Cinciam; ad legem Faſiam Caniniam; de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur; de adulteriis; de jure libellorum; de jure patronatûs; de teſtamentis; de inſtructo & inſtrumento, ſive de inſtrumenti ſignificatione; de appellationibus; de jure patronatûs, quod ex lege Juliâ & Papiâ venit; de actionibus; de intercesſionibus fœminarum; de concurrentibus actionibus; de legibus; de libertatibus dandis; de donationibus inter virum & uxorem; de legitimis hereditatibus; de Senatus Conſultis; de conceptione formularum; de formâ teſtamenti; de asſignatione libertorum; de liberali causſâ; de articulis liberalis cauſſæ; de dotis repetitione; nec non de variis cognitionibus. Quibus omnibus addendæ quoq; Alpheni & Labeonis legum epitomæ: itemq; ad Julianum, Cervidium & Papinianum notæ.

II. Multijugam heîc vides, & cum improbo ac pertinaci labore, ceu credere par eſt, conjunctam ſcriptionem: ut non minori jure χαλκέντερος, quaſi Latinè dicas, *Ænoventrem*, vel

Casaub. animad. in Athen. lib. 8. c. 7.

vel *Aënocordum*, quòd infatigabili diligentiâ in studiis uteretur, appellari posse mihi Paullus videatur, quàm similis in scribendo assiduitatis ergò cognomen istud Didymum olim Grammaticum Alexandrinum, nec non Origenem Adamantinum, magnum illum Scripturarum interpretem, sed qui variorum judicia, ac quidem severa satis, subit passim, indeptos fuisse ex Marcellino, Hesychio Milesio, ac B. Hieronymo discimus.

Amm. Marcell. lib. 22. Hesych. lib. de viris claris. Hier. [illegible] ist. ad Marcell.

12. Ex tàm multis autem libris, præter capita in Pandectis reliqua, deperierunt omnes. Solos hodiè idq; Gotthorum (quod multè maximè mirandum) beneficio suspicimus, etsi minùs integros, ac per barbaros heic ibi interpolatos, libros quinq; Receptarum Sententiarum ad Filium: tanto certè viro & in Reip. luce versato dignos, ac studiis cupidæ legum juventutis haudquaquàm inutiles: quippe cùm pleraq; in iis cum jure Justininianeo pulchrè consentiant: adeò, ut nihil impedimenti esse videri, quò minus libri isti eatenus in foro & consultationibus adduci possint, ubi tot novorum hominum sententiæ adducuntur, V. CL. Cunradus Rittershusius noster ὁ μακαρίτης, cui post omnes editiones Almarici, Bonchardi, Johannis Sichardi, Petri Ægidii & Iacobi Cujacii, novissimam illorum accuratissimamq; recognitionem, brevibus quidem, sed doctis illustratam notis, ut alia beneficia publicitùs debemus plurima, pronunciavit rectissimè.

13. II-

Rittersh. in proœm. sent. Paulli Barth. advers. lib. 42. c. 25.

Cujac. lib. 3. obs. 26.

l. 92. de hered. instit. l. 82. ad SC. Treb. lib. 24. de jur. patron. l. 113. de cond. & dem. l. 10. de manum.

13. Illud ſanè controverſiâ non caret, pluresnè, quinis iſtis, Sententiarum libros Paullus ſcripſerit: eò quòd Index Pandectarum Florentinus duplex Sententiarum opus habet: unum quidem inſcriptum Σεντεντίων ἤτοι Φακτῶν βιβλία ἕξ: alterum verò Σεντεντίων βιβλία πέντε. Tametſi verò contra fidem Indicis, & Rittershuſius, quem dixi, & poſt illum Caſp. Barthius vehementer pugnant: unum opus in duo diſtributum, ſive geminatam à librario operis recenſionem arbitrati: idq; hoc potiſſimùm argumento, quòd ex ſexto libro nullus omninò totis illis quinquaginta Digeſtorum libris locus allegatus appareat; nec quicquam etiam Factorum inſcriptio ad Sententias faciat: magis tamen eſt, ut cum Cujacio & aliis duo diverſa opera intelligamus: Sententiarum nempè Receptarum quinq;: & Sententiarum Imperialium in cognitionibus prolatarum, ſive Decretorum (quæ nimirùm ipſo Paullo & aliis JCtis aſſidentibus pronunciata ſunt) libros ſex. Sic certè legum inſcriptiones habent minimùm quinq;: quas omnes falſas eſſe,

nunquàm iſtud dixim, neq; animum inducam meum:

Etſi hactenùs tamen Index ille fortaſsè corrigendus: ut pro *Factorum*, non tàm *Sanctorum*, quod Barthius voluit, ſed *Decretorum* ſubſtituatur: accuſandus ad hæc ejus autor: quòd paulò inferiùs Decretorum libros tres memoravit, qui tamen ſex illis Sententiarum Imperialium jam an-

antè comprehensi: sed ex quibus Justinianus usus est tribus duntaxat prioribus.

14. Restat, ut subjiciamus elogium Paulli, quod ad statuam & effigiem illius in Curiâ Patavinâ legitur, eoq; brevem hanc *βιογραφίαν* concludamus. Est autem tale: PAULUS PATAVINUS JURISCONSULTORUM CLARISSIMUS, HUJUS URBIS DECUS ÆTERNUM, ALEXANDRI MAMMEÆ TEMPORIBUS FLORUIT, AD PRÆFECTURAM CONSULATUMQVE EVECTVS, CVIVSQVE SAPIENTIAM TANTI FECIT JVSTINIANVS IMPERATOR, VT NVLLA CIVILIS IVRIS PARTICVLA HVIVS LEGIBVS NON DECORETVR: QVI SPLENDORE FAMÆ IMMORTALIS, OCVLIS POSTERITATIS ADMIRANDVS, INSIGNI IMAGINE HAC MERITO DECORATVR.

15. Inter Poëtas Christianos ingenii acumine & doctrinâ, si quisquam alius, *Venantius Fortunatus* excellit. In ejus carminibus hujusmodi legitur distichon:

Jurisconsulti Paulli comitante volatu
Princeps Romanâ currit ab arce Petrus.

Sed elogium hoc est non nostratis, sed Gentium Doctoris: de quo sic loquitur B. Augustinus: *Habent causidici suum quoq; Paullum dictitantem jura litigantium. Recito Paullum dictantem pacis jura, non litis: Paullum recito idoneum Juris divini consultum &c.* Hunc ergò Venantius quoq; in invidiâ alterius, Jureconsulti Romani, eodê titulo honoravit, cùm eo tempore senten-

de verb. Domini secundum Johan serm. 63.

tiæ Paulli, ab Aniano in compendium redactæ, ubiq; in magnâ apud barbaras gentes existimatione haberentur. Reyera autem Jureconsultus & Apostolus, antè Legis Professor, ut hominem Pharisæum decebat. Ut proindè minimè mutandam esse lectionem vulgatam in allegato disticho rectissimè statuat Caspar Barthius.

Cap. XXX.

1. SEXTUS POMPONIUS, Familiâ natus Romæ antiquissimâ, undè præter alios T. Pomponius Atticus, adoptatus ab avunculo Cæcilio Metello, M. Ciceronis amicus summus Cæsariq; Augusto charus admodùm oriundus fuit; Papiniani & ipse doctrinâ imbutus, felici Alexandri Imperatoris tempore, juris peritissimus vixit: celeberrimæ illius legis secundæ de origine juris autor: in quâ initia & progressum Reip. Romanæ, magistratuum & IureConsultorum veterum nomina ac successionem, ad sua usq; tempora, eleganti stilo, etsi non certâ ubiq; fide (adeò divinũ potiùs est, quàm humanum, nunquàm labi, nunquàm errare, nunquàm ad dextram vel ad sinistram declinare, econtrà verò in omni studiorum genere verissimum Galeni dictum: χαλεπὸν ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα) contexuit: interq; alia, quàm in commune intersit, scripto con-

consignatum in societate civili florere ac vigere jus, quo boni tanquàm muris & vallis sepiantur, improbi tanquàm habenis, frenis & retinaculis quibusdam in officio contineantur, egregiè & exquisitè evicit.

2. Initio nimirùm Urbis omnia manu à Regibus administrabantur: qui judicia ipsi exercere, & ut quodq; inciderat negocium, quod æquum videbatur, statuere soliti: prout non Romæ solùm, sed & aliàs quoq; apud gentes id usitatum, ac nutum ferè ac voluntatem regiam pro jure fuisse, secundùm vulgatum illud, *sic volo, sic jubeo*, ex historicis apparet. Auctâ dehinc ad aliquem modum civitate, regi quidem cœpit populus jure quodam, cùm non modò Romulus ipse, sed ejus successores leges nonnullas tulissent, quæ Curiatæ non à Curio latore, sed à curiis, quasi latæ curiatim, fuerunt dictæ. At verò posteaquàm Reges ob tyrannidem ac libidines (quæ quidē solent esse caussæ gravissimarum in Republ. mutationum, vel etiam eversionum earundem) lege tribunitiâ exacti, atq; ex perpetuo imperio annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas scilicet vel solitudine vel morâ corrumperetur, ut eleganter & auctè Florus scribit: ipsæ quoq; leges regiæ quasi in exilium profectæ sunt unà cum suis autoribus: iterumq; cœpit populus incerto magis jure & consuetudine agi, quàm lege: idq; propè viginti quinq; annis passus est. Posteà, ne diutiùs hoc fieret, publicâ autoritate placuit, decem con-

l. 2. §. 1. & seqq. de orig. jur.

Flor. lib. 1. c. 5.

stitui viros, qui inquisitis sanctionibus antiquis, exploratisq; aliarum civitatum, præcipuè Græcarum, quæ optimè tùm temporis constitutæ habebantur, institutis, ex omnibus optima quæq; excerpendo, civitatem legibus fundarent: quæ ad hunc modum conscriptæ, latæ, approbatæq; in duodecim tabulas sunt redactæ: ex quibus deinceps, tanquàm fontibus æquitatis, alias juris Romani partes derivatas fuisse constat: quasq; adeò tanti semper fecerunt etiam Sapientissimi quiq; Romanorum, ut Cicero sub personâ Crassi scribere fuerit ausus. *Fremant omnes licet, dicam, quod sentio: bibliothecas me herculè omnium Philosophorum unus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & autoritatis pondere, & utilitatis ubertate.* Addit etiam illud: *percipi exindè, quantùm præstiterint ceteris gentibus Romani, & omne jus civile præter hoc, etiã Lycurgi, Draconis, & Solonis leges, incondiitas & ridiculas esse.*

Cic. 1. de Oratore.

Angl. in d. l. 7. §. 4. ad verb. constitui. Marant. de ord. jud. p. 3. pr. n. 20.

3. De modo ac ratione, quâ Romani leges illas ab Atheniensibus impetrârint, svavis ad ridendum est * Accursii fabella, quam tradit glossa, & pro verâ tamen historiâ habet Robertus Maranta: utriusq; quidem populi prudentiam & dignitatem indignum in modum traducens. Quòd si historicos consuluisset ille, animadvertisset utiq;, non Græcum quendam sapientem Romam missum ab Atheniensibus, explorandi caussâ, num essent digni, quibus legum suarum copiam facerent: multò minùs stultum in hujus congressum colloquiumq; à Romanis submis-

vid. Bud. ann. in Pand. Rittersh. comment. in XII. tabb. leg. proleg. c. 1. Paul. Benium. de historia lib. 4. p. mihi 241. Christ. Besold. in d. f. de cogn. & usu jurisprud. §. 58.

ſum: deniq; quod ipſe comme rat fact m, ſimiles nugas eſſe totum: maximè verò cum per-vetuſtis illis temporibus haud dum auguſtisſimæ Trinitatis cognitio, præſertim tàm obvia & explicata exſtaret apud profanas gentes. Quapropter non Dionyſius Halicarnaſſeus, non Diodorus Siculus, non Livius, non Florus, non Plinius, non Agellius, non L. Feneſtella, ſive quisquis eſt libri autor, qué Feneſtellæ ferimus nomine, tale quidquam commemorant, etſi non commemorant diligenter, undè ridiculo illi commento ſit locus: tantùm abeſt, ut ſtultus ille maxillatā ſibi dari (ſic enim Accurſius, cujus dicto quid ineptius aut inquinatius proferri potuit?) veritus, pugnū clauſerit, atq; indè, quaſi verò ſapientisſimus haberetur, Romanis leges impetraverit.

4. In tabulis eboreis perſcriptas fuiſſe autor Pomponius: id quod falſisſimum eſſe ait πάνσοφος Joſephus Scaliger in Gvilandinum; cùm vulgo notisſimū ſit in tabulis ligneis ſcriptas fuiſſe, quales fuerunt ἄξονες καὶ σανίδες καὶ κύρβεις Soloni: nec profectò tàm beati, at neq; adeò tam delicati eo tempore adhuc fuerint Romani, ut in eburneis tabulis legem proponerent: ea quin etiam materia minimè ſit diuturna, ſed vetuſtate flacceſcat. Ipſe igitur Pomponio noſtro hunc in modum Galenus eſt, ſeu Theophraſtus, ſi hunc mavis: ut levi unius literulæ in duas mutatione pro eboreas legendū putet roboreas. Enimverò populi Romani leges antiquisſimas ἐν δρυΐνοις σανίσιν propoſitas fuiſſe, autor Dionyſius Dionyſ. 3 & lib. 10

 Halic

Halicarnaſſeus: nec eò minùs tamen, idem ille, haud unus modò, ut Scaligero viſum fuit, ſed & Diodorus Siculus, Livius, ac B. Cyprianus in æs inciſas fuiſſe XII. tabularum leges teſtantur. Quod quidem ἐνχαλκοφανὲς V. CL. Jacobus Gothofredus, ad celebris illius legislationis, quæ ſuperſunt, fragmenta, facili negocio componi poſſe exiſtimat: decem nimirum tabulas roboreas populo fuiſſe propoſitas. Deinde ubi populus eas probaſſet, tùm demùm unà cum duabus poſterioribus ad perpetuam earum obſervantiam in æs inciſas. De decem ergò illis Pomponium loqui: de duodecim iſtis ceteros. Sic ergò Gothofredus: ac videri præthereà poteſt, qui totam eam συζήτησιν, quâ nimirùm materià leges XII. tabularum in publico primùm ſint poſitæ, eruditè atq; eleganter tractat Brodæus in miſcellaneis.

Diod. lib. 12. Liv. lib. 3. Cypr. ad Donat. lib. 11. epiſt. 11. I. Gothofr. not. ad frag. XII. tab. lib. 2. c. 6.

Brod. lib. 4. miſcell. c. 14.

5. Quicquid autem ſit, graviter ſanè ac ſapienter populus Romanus: qui cùm utrumq; tempus expertus, quo & legibus uteretur, & quò ſine jure viveret, uſu didiciſſet, Rempubl. absq; legibus inſtar navis amiſſo clave fluctuare, ac feliciorem ob id longè ſtatum eſſe, qui legibus gubernaretur: ad eas reſtituendas animum adjecit. Idq; eo cum ſucceſſu, quem Pomponius pluribus perſequitur. Tametſi namq; repertus non nemo, qui de autore dubitet, ac vel Feneſtellæ vel Triboniano legem tribuat: haud quicquam tamen obſtat, quò minùs ſuum cuiq; tribuentes, ſartam tectam Pomponio proprietatem

v. Alciat. 4 de V. S. Hotom. ill. q. 24. in pr. Fulv. diſcept. 1. pag. 18. Til. m. in diſcurſ. Philol. p. 49.

tem conſervemus, neq; vi quâdam de poſſeſſione diſturbemus. Certisſimum ſiquidem eſt Pomponium librum ſingularem Enchiridii ſcripſiſſe: nec minùs item certum, eodem in libro & juris hiſtoriam, & juris principia, & vocabula juris ſuccinctè enucleâſſe. *l. 120. de verb. signif. [illegible] ad pr. n. 1.*

6. Nomen ejus in libris noſtris ſatis crebrum: exſtatq; inter alia inſigne ejusdem (licet non deſint, qui & hoc Papiniano abjudicent, ac Juliano aſſertum eant) dictum non tàm chartis inſcribendum, quàm animis ſtudioſorum: *Se discendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum & ſeptuageſimum annum duxerit, memorem eſſe ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur: κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην.* *l. 20 de fideic. lib. [illegible]*

Si pede jam primo tetigiſſem triſte ſepulchrum, *Jo. Lot: li-us Hadamarius.*
Sarcophago inſtarent frigida membra meo;
Pectore non fugeret de noſtro maximus ardor,
Quin cuperem ſtudiis addere plura meis.

7. Benè me herclè & Pomponius noſter, & quisquis ſententiæ illius autor: quippè cũ *μακρὴ ἡ τέχνη*, quod Cous ſenex de medicinâ pronunciavit, ad univerſas pertineat ſcientias. Id quod & Themiſtocles ille, cujus in annalibus Græcorum illuſtre eſt nomen & quem prudentisſimus hiſtoricorum, judicâſſe de præſentibus verisſimè, de futuris conjeciſſe callidisſimè teſtatur, innuere voluit: cùm, centeſimo quamvis ac ſeptimo ætatis anno, nullius magis accuſaret naturam, quàm quod ipſum privaret vitâ,

cū jam aliquid didicisset sapere. Noverat scilicet prudens senex, tantos esse scientiarum gurgites, tantum Sapientiæ Oceanum: ut quamvis à primá pueritiâ ad extremū ultimæ senectutis diem eis ipsis assiduè incumberemus, anteà tamen dissolvendos, quàm vel earum prima miracula ac mysteria delibâssemus, ne dùm penetrâssemus ad fundum usq;, ubi veritas latet.

8. Atq; hoc ipsum sensit quoq; qui Athenas æquo jure fundavit, inter septem ævi sapientiâ notos: Solon, inquam, versu illo pulcherrimo, ac vulgariter noto, quem & divinus Plato laudat in Amatoribus,

γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

quotidiè addiscentem se aliquid senem fieri gloriatus. Cottidiè autem? Etiam circa ipsam mortem. Nam cum langveret, & assidentes amici aliquid inter se differerent, ille caput pressum satis sustulit & flexit ad audiendum; Interrogatusq;, quo fine tunc aut fructu? nobilem illam vocem edidit: *ut cùm istud sciero, doctior moriar.* O desiderium! & quid in vitâ aut ejus flore faciendum: cum ille hæc in morte? Quid verò Socrates, vir admirandus, in quantum ipsa virtus intelligi potest? Jam ætate gravis fidibus canere didicit, *μηδὲν λέγων ἄτοπον εἶναι, ὅτις μὴ οἶδεν, ἐκμανθάνειν.* Nec dissimilis animus M. Catonis Censoris, qui quamvis idem orator, idem historiæ conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, litteras tamen Græcas, inter tot opera militiæ, tantasq; domi contentiones, cùm jam

Plut. in ejus vita. Val. Max. l. 8. c. 8. Lips. Mon. & ex. Pol. lib. 1. cap. 8.

Diog. in Socrat. Cic. in Catone Val. Max. l. 8. c. 7. Cic. in lib. de Sen. & ibi. apud. [illegible] Quint. lib. 12. c. 11.

jam leniret *albescens animos capillus*, avidissimè hausit, tanquàm diuturnam sitim (ut ipse apud Ciceronem loquitur) explere cupiens; & ut esset hominibus documento, ea quoq; percipi posse, quæ senes concupissent. Idem affectus, idem ardor se se prodidit haud solùm in Varrone, qui octogesimum agens annum scripsit libros de re rusticâ, & ità quidem scripsit, ut ex his videatur adhuc alacri animo fuisse, & sensisse studiorum dulcedinem; sed vel maximè in M. Antonino Imperatore; *Suid. Xiphil.* ut qui grandævus jam, Sexti tamē Chæronensis, Philosophi & Doctoris optimi, non intermisit auditionem, *καλὸν*, inquiens, *καὶ γηράσκοντά τι μανθάνειν*: ad audiendos etiam Hermogenis Rhetoricorum libros libenter ac frequenter venit: ac Philosophi, quàm Nicanoris, aut Ceranni, aut Callinici, aut Poliorcetæ, aut id genus alio titulo ad famam hominum profluere maluit: etsi sunt tamen, qui nimiùm in illo Philosophiæ studium reprehendant. Sed *Specul. de diffic. jur. Rom. l. 10. & seq.* nec ignota Origenis, Augustini, Hieronymi, jam grandiorū natu *φιλομάθεια*: nō item, qui inter utriusq; juris peritissimos tanquàm stella quædam effulsit, Scharffio *Veritatis magister*, Menochio *Jurcconsultorum signifer*, Nattæ *excellentissimus Doctor*, aliis *saccus legum & lucerna juris*, eâdem formâ, quâ Plato quendam *θύλακον λόγων* & Quæstorem Valentinianus armarium legum, & Theodorum Balsamonem, Nicetas *λύχνον ταῖς τῶν νόμων τηλαυγέσιν πάμφωτον* vocant, nonnullis *cæcorum dux, speculum & ve-* *Val. Forster. lib. 3. histor. jur. civil. Rom. c. 27. Jac. Scaliger. ad Mod. Pistor. p. 3. p. 127. Cujas. 12. observ. c. 16.*

ritatis Pater dictus. cujus se vestigia adorare magnus Jason sæpè dicit, indubiè ex veteri Poëta, qui suam poësin, ut Virgilii longè vestigia adoret, jubet, quem deniq; Jurisperiti quidam, ignorantes haud dubiè ejusdẽ in humanioribus literis, in historiis, & publico jure toties proditam infantiam, *pro numine* colunt, ejusq; scripta inter sacrorum Vatum oracula, sic scribente Damhouderio, in larariis habent: Bartoli inquam de Saxo Ferrato: qui vergente jam in occasum ætate Hæbræam lingvam & Mathematica didicisse, eorumq; usum ad juris civilis interpretationem transtulisse dicitur. De Baldo quid dicam? Legibus is operam dare cœpit provectæ jam tunc vir ætatis. Undè videntes ipsum alii, ironicè ei dicebant: *Serò venis Balde, advocatus in altero futurus seculo.* Necminùs tamen, quia ingenio pollebat legibus accommodo, brevi tempore in Jureconsultum evasit præstantissimum: usq; adeò, ut non desint, qui & ipsum pro numine Legistarum habeant, atq; *omniscium*, hoc est, *Hippiam quendam πανσοφὴν*, quòd nihil in jure ignorarit, appellandum censeant: qvamvis Alexander dicat, cerebrum ejus ita in capite ipsius volitâsse, sicut aves volitant in aere. Quid deniq; de Raphaële Regio? quem magnus ille Erasmus, cui spiritum & vitam debent renascentes literæ, non minorem vixisse annis septuaginta testatur: nec tamen ullam fuisse hyemen tàm asperam, quin ille manè horâ septimâ adiret M. Musurum Græcè

Scip. Gentil lib. 2. de jurid. cap. 22.

Damhoud. in subh. 1. & 4.

Zas. cons. 16. n. 68. lib. 2.

Fr. Horom. cons. 30. n. 9.

Erasm. lib. 23. epist. p. mihi 869.

cè profitentem. Juvenes hyemis rigorem ferre non poterant: illum fenem nec pudor nec hyems ab eruditione abigebat.

9. Adeò nulla ætas ad difcendum fera. *Omnis ætatis homines hæc fchola admittit: in hac fenefcamus, hanc ut juvenes fequamur. Tàm diu difcendum eft, quàm diu nefcias, & fi proverbio credimus, quamdiu vivas. Nec ulli rei hoc magis convenit, quam huic: tàm diu difcendum eft, quemadmodum vivas, quàm diu vivis:* ut hoc de fuo nobis largiatur, quem principem eruditionis invidendo elogio Plinius ingeniorum æftimator candidiffimus, appellavit. Quibus adde, fi lubet, quæ Manuel Imp. tradit regiæ educationis capite feptuagefimo quinto: tùm quæ de feipfo magnus ille Galenus, Medicorum poft Hippocratem facilè princeps, alicubi fcribit verbis hujusmodi: *Felicitatem meam, quam beneficio paterno habueram, quamvis ego majorem adhuc redderem, quòd citiùs meliùsq; omnibus; quæcunq; docebar, edifcerem: nifi tamen per univerfam vitam in Medicinæ Philofophiæq; theorematibus me diligenter exercuiffem, nihil præclari confecutus eram.* Auguftini deniq; ifta cogita ac perpende: *Ad difcendum, quod opus eft, nulla ætas fera videri poteft: quia, etfi fenes, magis decet docere, quàm difcere, magis tamen difcere, quàm, quod doceant, ignorare.*

Senec. epift. 76.

Plin. lib. 14. c. 4.

10. Sed his omisfis ad noftrum redeamus penfum, in quo illud unum reftare videtur, ut quos libros reliquerit Pomponius, fubjiciamus.

Sunt autem præter Enchiridion modò dictum isti: ad Edictum quatuor & octoginta: ad Q. Mucium lectionum triginta novem, qui sententiam Mucii non tàm reprehenderent, quàm explicarent, illustrarent, confirmarent, & quorum adeò plurima extant in Pandectis capita, undè & maximam Jurisprudentiæ Mucianæ, quam collegit, partem repetiit, Franciscus Balduinus: ad Sabinum sex & triginta; Epistolarum viginti; variarum lectionum quindecim, ut habet Index Pandectalis, sed quos ad unum & quadraginta excrevisse testatur *l. IIX. §. VI. Si servitus vindicetur*; ad Plautium septem; fideicommissorū quinq; totidem SenatusConsultorum; ac deniq; Regularum unus. Librum ejus quintum Digestorum ab Aristone laudat Paullus in *l. XLIV. Sol. matrim.* nec non de stipulationibus octavum *in l. V. de usufr. ear. rer.*

CAP. XXXI.

I. FLORENTINUS JCtus è Papiniani Scholâ progressus, sub Alexandro Severo unà cum aliis ejusdem notæ, quibus ille pro instrumentis boni Seculi ad regionum suarum ac subditorum utilitatem usus fuit, floruit: tantò quidem majori suâ cum laude: quòd optimus Imperator, sicut nihil sanxit, edixit, constituit, nisi de scitu & consensu Consilii sui ac Senatûs curialis: ità in hunc quoq; non nisi excellentes sapientiâ

tiâ & virtute viros adsciſceret; alii verò qui eſſent, è palatio ſuo comitatuq; omni procul exeſſe juberet: inſigni etiam & notabili cunctis principibus exemplo in Vetronium Turinum edito: quem cùm comperiſſet, quaſi fumum, eventus cauſſarum ſimulatè & incaſſum venditaſſe, auſumq; adeò prævaricari, precia captâſſe ex utrisq; juxta partibus, & relationis ad Principem ſpe inductis ita illuſiſſe, artificiosè ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſum convictumq;, ad palum alligari, ſuppoſitoq; igni ex ſtipulis atq; humidis lignis (ut nimirùm crimini ſupplicium reſponderet) fumo necari juſſit, præcone acclamante: *Fumo rectè perire, qui fumos vendidiſſet.* *Lamprid. in vit. Alex.*

2. Exemplo, inquam, notabili: cùm hodièq; talium fumi-venditorum affatim inveniatur: vixq; adeò ulla ſit aula tàm ſancta & benè morata, in quam non ſe altùm jam malum iſtud penetrarit. Ei verò mederi Principibus Chriſtianis haudquaquam difficilè ſit, ſi quomodò ille apud Maronem *v. Joh. Chok. theſ. Aphor. polit. lib. 2. cap. 8. Joh. Ferſ. de praeſ. praet. c. 3. ſ. 27.*

Ignavum fucos pecus à præſepibus arcet,

Sic ipſi pellendo à ſe ac puniendo talia carcinomata Principem quamvis Ethnicum imitentur. Quem præſertim ſeveritate ſua id conſecutum eſſe legimus: ut adminiſtros haberet non malitioſos, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorum inimicos: non libidinoſos, non crudeles, non circumventores ſui, non irriſores, *Mich. Piccard. obſerv. hiſtorico-polit. dec. 12. c. 6.*

non qui illum quasi fatuum circumducerent, aut clauderent, agentes ante omnia, ne quid sciret: sed sanctos & venerabiles, continentes, religiosos, amantes Principis, & qui de illo nec ipsi ridere, nec alii se aut eum risui esse vellent, qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquàm deciperēt existimationem Principis.

3. In horum ergò censu ac numero non fuisse solùm, sed & Principi fuisse amatum æstimatumq;, præcipua Florentini nostri gloria: ad quem & Imperatoris exstat nobile rescriptum *in l. IIX. C. de inoff. testam.* de arbitrio dividendæ hereditatis inter liberos parentibus non adimendo, dùm modò non minùs is, qui pietatis sibi conscius est, legitimam ex judicio parentis obtineat, Maximo II. & Aeliano Coss. h.c. anno salutis ducentesimo vigesimo quinto, Imperii autem Alexandri secundo. Scripsisse legitur Institutionum libros duodecim.

Cap. XXXII.

1. AELIUS MARCIANUS, Papiniani auditor, eâdem ætate unà cum Ulpiano, Paullo, ac reliquo illo Jureconsultorum choragio, celebre nomen consecutus est: ad quem Alexandri lex sexta sub tit. C. de procuratoribus, iisdem Maximo & Aeliano Consulibus, Gordiani item lex quarta C. de fide instrumentorum, Gordiano

no A. & Aviola Coss. h. e. anno Christi CCXLI. scriptæ creduntur, quod negat tamen Panciro-la: sed nullo idoneo argumento.

2. Caussas actitâsse in auditorio publico apparet ex lege primâ. §. ult. in fin. ne de statu defunct. Id quod equidem de claritate ipsius nihil omninò delibavit: quippe cum *laudabile sit, vitæq; hominum necessarium advocationis officium: atq; ob id maximè principalibus præmiis remunerandum*, ut habet Anastasii Imperatoris Constitutio ad Eustathium P.P. Nec minùs verè quàm eleganter Theodosius Imp. Novellâ XXXI. *Corpus Advocatorum seminarium*, ait *sit dignitatum:* prout Perseus Macetûm Rex, & hunc imitatus Severus noster apud Lampridium dixerat, *Ordinem Equestrem esse seminarium Senatus.* Sic itaq; Advocati, *quasi Equites forenses:* undè & illud Ennodii, *notâ proximitate sociari caussidicos & Senatores.* Neq; ignotum verò olim Cæsares, Pompejos, Crassos, & reliquam illam procerum manum, cùm in acie spectatissimi & victoriis inclyti essent, non eò seciùs vim animi ingeniiq; in judicii quoq; discrimine approbare, & hâc quoq; gloriâ inclarescere voluisse. Cic. in lib. de clar. Orat. Quò quidem respexit haud dubiè Vates ille non indole minùs, judicioq;, quàm eloquio sublimis: cùm Pisoni, qui è proceribus Romanis facundiam, ut Tacitus ait, tuendis civibus exercens, reum sub indice damnationi eripuerat, ac saluti reddiderat, Coronam civicam, Plin. lib. 16. c. 4.

cam, *militum alioqui virtutis insigne clarissimum* tribuit in hisce præclarissimis versibus:

Lucani in panegyr.

Nos quoq; pacatâ Pisonem laude nitentem
Exæquamus avis: tamen etsi bella quierunt
Non periit Virtus, libet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella movere.
Hinc quoq; servati contingit gloria civis;
Altaq; victrices intexunt limine palmas.

3. Pomponii quidem collega cùm esset noster, is verò dubitaret, si bis autor factus sit pupillo tutor, an & una autoritas sufficeret eo animo, ut ad utrumq; pertineret, ipse fortiter defendit sufficere unam autoritatem. Qui sanè locus satis arguit: quod licet collegis muneris publici societas non mediocre vinculum ad animorum conjunctionem afferat, neq ulla justior aut gravior caussa necessitudinis reperiri possit, quàm conjunctio sortis, quàm provinciæ, quàm officii: adeò ut judex legitimè recusetur, qui adversæ partis collega est: nihilominus tamen Jurecconsulto ob rationum momenta à collegæ sui opinione liberè recedere liceat. In legitimâ enim scientiâ vel à patre dissentiens filius pietatem minimè ledere videtur: cùm quamlibet affectionem Veritati cedere oporteat.

l. accipientu 15. ff. de autor. & consens. tut. & cur. Cic. lib. 3. epist. fam. 3.

Magn. lib. 1. decis. Thol. c. 82

arg. l. dedi tibi §. Sed si Servus 7. de cond. caus. dat. Knich. de vestit. pact. p. 1. c. &c.

4. In pœnis temperandis, quàm & cautus, & humanus fuerit, abundè loquitur ex libro ejus de publicis judicis secundo desumta *l. perspiciendum 11. de pœn.* à summo quidem viro Joh. Oldendorpio tanti habita: ut scribere non dubitarit, unicam illâ legem multò pluris ab se fieri, quàm

totam, tamq; sæpè mutatam Caroli V. constitutionem criminalem. Principium ejus hujuscemodi verbis conceptũ, quæ judicibus caussarum criminalium legi quotidiè debebant, imò recitari & quidem ad litteram. *Perspiciendum est,* inquit, *judicanti, ne quid durius aut remissius constituatur, quàm causa deposcit, nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso judicio, prout quæq; res expostulat, statuendũ est. Planè in levioribus caussis proniores ad lenitatem judices esse debent: in gravioribus pœnis severitatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.*

Oldend. for. act. class. 7. Keller. lib. 1. de offic. juridic. polit. c. 25.

5. Scripta Marciani disertis verbis Justinianus compilatoribus commendavit, è quibus cũ usu publico leguntur communicati Institutionum libri sedecim, Regularũ quinq;, de Appellationibus duo, publicorum judiciorũ totidem, singulares deniq; libri de delatoribus, ad formulã sive actionẽ hypothecariã & ad SC. Turpillianum.

6. Ammianus Marcellinus de caussidicis loquens sui temporis inter alia sic inquit: *Et si in circulo doctorum autoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulũ arbitrantur: si verò advena quisquam inusitatum sibi antea Martianum verbotenus quæsierit oratorem, omnes confestim Marcianos appellari se fingunt.* Sed incertum planè, quem heic Marcianum velit, cùm plures ejus nominis fuerint: nec præter rem fortassis Fr. Lindebrogius: qui Marcianum Rhetorem intelligi putat, cujus Fab. Victorinus meminit in commentario ad Ciceṛ. de invent. lib. 1.

CAP. XXXIII.

1. AEMILIUS MACER Jureconsultus admodùm elegans & tersus, Principe illo æquitatis amantissimo, & qui hâc præcipuè à quibusdam sive Judæis, sive Christianis auditâ sententiâ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, adeò delectatus fuit, ut eam & usurparet sæpiùs, & in palatio atq; publicis operibus præscribi, immò etiam aliquando, cùm emendaret aliquem, puta fustibus adfectum, aliâve pœnâ castigatum, per præconem proclamari juberet (Alexandrum toties nobis laudatum intelligo) rerum potiente claruit: cujus & ad illum putatur esse lex tertia *Cod. de Calumniat*.

2. Ulpiano aliquantò juniorem fuisse apparet ex lege octavâ & sexagesima *ad leg. Falcid.* in quâ Ulpiani autoritate utitur, ejusq; formam quandam computationi in alimentis faciendæ præscriptam refert. Citatos ab eodem Paullum & Menandrum in lege primâ *de veteran. & milit. success.* hunc autem solùm *in l. XIII. §. VI. in fin. de re militari & l. XIV. de pœnis* invenias.

3. Libros condidit plures: in iis militarium duos: publicorum duos: de officio præsidis duos: εἰκοστῶν sive de vicesimis hereditatum duos: de appellationibus duos.

CAP.

Cap. XXXIV.

1. Callistratus Jureconsultus insignis, in studiis atq; doctrinâ praeceptoris vestigia secutus, Alexandro Severo Imper. non ingratus, eodem cum ceteris hujus aetatis prudentibus honore nominisq; famâ floruit: atq; juris artem egregiis quibusdam accuratisq; scriptoribus haud parùm illustravit: relictis quippè posteritati de cognitionibus libris sex, editi monitorii totidem, de jure fisci quatuor, Institutionum tribus, quaestionum duobus.

2. Inter leges ejus, quae Pandectis insertae, eximia planè est illa sub titulo de officio Praesidis nona ac decima: in quâ jus reddentem ità instruit: *ut in adeundo quidem facilem se praebeat, sed contemni tamen non patiatur, atq; ob id in ulteriorem, sive, ut alii legunt, etsi res eadem recidit, interiorem familiaritatem provinciales ne admittat: quippè cùm ex conversatione aequali contemtio dignitatis nascatur. Tùm verò ut in cognoscendo neq; excandescat adversus eos, quos malos putat, neq; precibus calamitosorum illacrumetur:* divinitùs addens, *non esse id constantis & recti judicis, cujus animi motus vultum detegit: & summatim, jus ità reddi oportere, ut autoritatem dignitatis ingenio suo augeat.* *Hotom. 4. obser v. 22.*

3. O salutares multiq; usus politici & prudentiae monitum! In tribunalibus ob id omnibus

bus

bus describendum! omnibus, qui judicant, probè observandum! Quemadmodum nempè inter omnes constat, magistratui cuivis suæ dignitatis tuendæ, ac decoris sui, curam esse debere maximam: sic inter varias caussas, quæ magistratus autoritatem elevant, meritò annumeratur immoderata facilitas atq; humanitas: quippè quæ fenestram hominibus (quod omnes experimur) ad contemtum aperiant. Namq;, ut ille ait,

l. 9. §. 2. de off. proCons. l. 1. in pr. de postul.

— — *Minuit præsentia famam:*

vereq; adeò Plutarchus scribit *δυσφύλακτον ἐν συνηθείᾳ τὸ πρὸς δόξαν σεμνὸν* h. e. *in familiari consvetudine ægrè custodiri illud opinionis de te augustum.* Judiciorum autem ipsorum undè major remora, quàm ab Irâ & Misericordiâ? Illa rationis lumen, sine quo cœcum est judicium, turbat: hæc offuscat, ut sic quidem judicium sive furoris, sive indulgentiæ fiat instrumentum. Firmandus itaq; judicis animus: ut cùm hanc personam induit, & amici & inimici deponendam cogitet: ad normam rationis cuncta, nihil iræ caussâ, etiam irascendo & puniendo faciat: Justitiæ quàm amicitiæ jura potiora habeat: nec sordibus adeò, lacrumis aut miseriis reorum commotus statim annuat illorum postulationibus, atq; à rectâ sententiâ deflectat: secundùm illud sacræ paginæ effatum: *Non misereberis pauperis in judicio.* Undè quidem non Lacedæmonii tantùm, Plutarcho teste, in-

Plutarch. in Pericle.

vid. Andr. Deinor. Areopag. Eryc. Putean. de offic. judic. dissert.

ten-

tenebris judicare soliti, ne quid esset, quod rectum judicium impediret: sed & apud Athenienses legem fuisse Athenæus scribit, ne quis *Athen.* virum adspiciens judicaret. Cùm enim Hyperides *δειπνοσοφ.* pro Phryne Thespiâ, famosâ illâ meretrice, *l. 13.* ac tàm divite, ut Thebarum mœnia exstructuram sese polliceretur, si adscriberetur, Alexandrum diruisse, *Plut. in vitis Rhetor.* Phrynem verò scortum rejecisse, capitis jam jam damnanda peroraret, nec quicquam eloquentiæ machinis proficeret: pulcherrimæ mulieris vestem laceravit, pectusq; ostendit nudum, pro spectaculo animi judicum victi servare integritatis robur nequiverunt: quin dignam mitissimo calculo insignem formam censerent. Ità verò cùm judicium illa evasisset, plebiscito decretum fuit: *μηδένα οἰκτίζεσθαι τῶν λεγόντων ὑπέρ τινος, μηδὲ βλεπόμενον τὸν κατηγορούμενον ἢ τὴν κατηγορουμένην κρίνεσθαι*, h.e. ne qui caussas reorum dicerent, commiserationem excitarent: ac ne quis arcessitus, ne quæ postulata coram judicibus sententiam pronunciaturis sisteretur. Sapienter id quidem, puto: cùm usus quotidiè doceat ex vero dixisse Fabium. Commotus ab Oratore *Quintil.* judex, quid sentiat, sedens adhuc atq; audiens *lib. 6. c. 1.* confitetur. An cum illi, quod plerisq; peroratoribus petitur, fletus erumpit, non palàm dicta sententia est? At hoc gravitati muneris planè contrarium, cumq; propter alias rationes, tùm constantiæ caussâ vitandum.

4. Neq; verò minùs memorabilis lex decima tertia *sub tit. Quod. met. cauß gest* propter conservatum in eo D. Marci decretum, in quo sapientissimus Imperator, ne quisquam sibi χειρῶν νόμῳ jus dicat, usq; adeò prohibet, ut vim facere quis quid, quod suum est, sibivè deberi putat, propriâ autoritate non per judicem reposcit, ob idq; illum jus suum amittere velit. Neq; enim, Paullo dicente, *concedendum est singulis, quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi.* (l. 176. de R. J.) *Idcircò judiciorum vigor*, ajunt Theodosius, Aracdius & Honorius Imperatores, *jurisq; publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem.* (l. 14. C. de judic.)

Elegantes item Cassiodorus: *Legum reperta est via & sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu.* (l. 4. variar. form. 10.) Et ex personâ Imperatoris Friderici Guntherus: (lib. 8. Ligur.)

Judicis officio sua cuncti jura seqvantur
Contineantq; manum.

5. Sed nec indigna est, quàm diligentiùs ruminemur lex V. sub *tit. de jure immunitatis*, cùm ob alias caussas, tùm vel hoc nomine, quòd luculentum perhibeat testimonium, quanta apud veteres Romanos, quo tempore

Moribus antiquis florebat Roma virisq;,

quàm in precio erat vera probitas, & nuda virtus colebatur, Senectutis fuerit veneratio. *Semper in civitate nostrâ*, ait Callistratus, *senectus venerabilis: namq; majores nostri eundem senibus bo-*

honorem, quem magistratibus tribuebant. In quam sententiam & præclarum illud legitur doctissimi Satyrici:

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq; puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos.
Tàm venerabile erat præcedere quattuor annis:
Primaq; par adeò sacræ lanugo senectæ.

Similia de Romanis prodidere Valerius Maximus, Agellius, alii: etsi quod de urbe isti, nos multò rectiùs de universo orbe dixerimus. Cui rei plura congessit omni eruditionis laude dignissimus Melch. Goldastus in tractatu elegantissimo de Majoratu. Ad eum, si quis id desideret, visere unicuiq; facillimum erit.

CAP. XXXV.

1. HERENNIUS MODESTINUS JureConsultus Græcè ac Latinè inter paucos doctus, stylo elegans, judicio nec vulgari, nec recti praviq; contemnendus arbiter, Papiniani, ut quidam opinantur, vel, ut aliis placet, Ulpiani discipulus, idq; argumento Ulpiani, scribentis alicubi, Herennio Modestino studioso suo de Dalmatiâ consulenti rescripsisse circa equos, quibus γονῆς duntaxat χάριν (radicis, ut vulgò loquimur, vel seminis caussâ, sive, ut Justinus ad genus faciendum) subjecisse quis equas suas proponebatur,

l. 52. §. 20. de furt. v. Cujac. 13. obs. 6. & 27 observ. 26.

furti ità demùm teneri, si furandi animo id fecisset; si minùs, in factum agendum, etsi in vulgatâ lectione scriptum reperitur, Modestino proConsule de Dalmatiâ.

2. Ut ut sit, coævum tamen Ulpiano fuisse Modestinum exinde apparet: sed qui Alexandri successorem, maximeq; Gordiani junioris, post Maximinum, Gordianos duos, patrem & filium, nec non Pupienum atq; Balbinum occisos, ad summam rerum evecti temporibus de jure respondit: non ab hoc tantùm, sed à Poësi quoq; adeptus nomen: id quod inter alia periochæ Virgilianis operibus adscriptæ testatum faciunt.

3. Et verò rideant hoc studium, ac togam dedecens suâ iis, qui lacero pallio induuntur, ac Litteriones audiunt, convenire dictitent, qui velint: verissimùm nihilominùs magnam illi cum Jurisprudentiâ conjunctionem esse & adfinitatem: uti præter alios præclarè demonstravit Scipio Gentilis Antecessor Noricus, vir ille, in cujus nomine habuimus, & quicquid laudem meretur, & quicquid gloriosum esse potest, libro secundo Parergorum, suomet & ipse exemplo nostrâ ætate abundè testatus, nihil prohibere,

— — quin commodè in uno
Et Themis & Musæ pectore sedem habeant.

l. 6. in fin. de r r. div. l. 1. de de-rat. causo. mort.

4. Illi ipsi certè, quorum libros terimus quotidiè, veteres Jureconsulti, homines prudentissimi ac disertissimi, Homerum ac Vir-

gi-

gilium, utrumque principem ac regem ceterorum,

Cui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,

Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicunt,

allegare nonnè pulchrum duxerunt? Homerum, nonnè Justinianus Imperator in prooemio Digestorum omnis virtutis parentem, proindè ut Plato in Lachete πατέρα καὶ ἡγεμόνα τῆς σοφίας elogio deprædicat invidendo? Tanta nimirùm in jure quoq; civili Poëtarũ est & pulcherrimæ artis autoritas: vel ipso Accursio alicubi annotante.

l. 1. §. 1. de contract. empt. §. item pretium Inst. eod. l. 2. ad l. Aquil. l. 13. §. 1. ad l. Jul. de adult. l. 236. & v. s. Horat. epist. ad Loll.

5. Atq; id sanè haud immeritò, quippè cùm de Homero testetur Strabo, ὅτι οὐ μόνον ἐν τῇ κατὰ τὴν ποίησιν ἀρετῇ πάντας ὑπερβέβληται τοὺς πάλαι καὶ τοὺς ὕστερον, ἀλλὰ σχεδόν τι καὶ τῇ κατὰ τὸν βίον ἐμπειρίᾳ τῶν πολιτικῶν. Ut mirum non sit, si Alexander Macedo, cui à magnitudine rerum gestarum virtus Magni cognomen indidit, hunc poëtã, quẽ ipsi puero philosophorum princeps non sine summo & judicio & consilio prælegerat, τῆς στρατείας ἐφόδιον habuerit, noctu quietem capturus pulvino subjecerit; immò eum in modum non amaverit, sed coluerit: ut cùm in Darianâ prædâ scrinium gemmis & auro cultissimum repertum esset, aliiq; aliò destinarent, ipse Homeri carminibus reservari juberet, quasi pulcherrimũ opus pulcherrimo conditorio dignũ esset: vel ex eo nõ vulgaris scientiæ aut judicii æstimandus, qui altum & super omne

J. Lips. in mon. & ex polit. lib. 1. c. 8. Joann. Casel. orat. pro arte poet.

vulgus poëtam, immò τὸν ἄριστον καὶ τὸν θειότατον τῶν ποιητῶν, ut vocat Socrates in Platonis Jone, æstimarit: eum certè, cujus divino ingenio felicitatis istius bellicæ perpetuitatem magnâ ex parte deberet. Phalangem enim, ejusq; artem struendæ, quâ nullum genus aciei apud Macedones aut exercitatius fuit, aut validius, ab uno primùm Homeri versu manâsse, deq; ejus præscripto institutam fuisse, doctissimi homines prodiderunt. De Virgilio quid dicam? Quam ille partem vitæ ignoravit? quam non attigit? quam non erudiit atq; expolivit? *Platonem Poëtarum* appellavit Alexander Severus: sicut Platonem contra *Homerum Philosophorum* Dametio vocatum scribit Cicero. Neq; verò novum est, sed jam pridem, & ab ipso adeò Julio Cæsare Scaligero (quo viro nec major Philosophus ab Aristotelis, nec major Poëta à Virgilii, nec major Medicus ab Hippocratis ævo vixisse videtur), clarè assertum, ad Ethicam & Politicam quod attinet, meliores nos doctioresq; ex unius Virgilii lectione, quàm ex omnium Philosophorum præceptis abituros.

Adam. Theod. Siber. in orat. de præstant. Poetic.

v. Albert. Gentil. ad l. 2. C de profess. & med. p. mihi 88. Chr. st. Coler. epist. de stud. Polit. ordin.

6. Nec culpandus ergò, sed laudandus potiùs noster, quod suo tempore non solùm consultos inter, sed & inter Poëtas emicuerit: etsi magis est, ut credam, ipsum hoc exercitationis genus non inter ἔργα sed πάρεργα & laxamenta curarum habuisse, si quando intervalla negociorũ otio insititio disjungere vellet. Cujusmodi quidem amœnitatum nec alios gravissimos atq;

atq; in seriis occupatissimos viros puduit: ut vere cum Cicerone pro Archiâ dicere liceat, *Quis mihi jure succenseat, si quantum ceteris ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates conceditur temporis; quantum alii tribuunt intempestivis conviviis; quantum deniq; aleæ, quantum pilæ: tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumsero?*

7. Sunt qui tradant Modestinum & Maximini junioris informatorem, & aliquot annis retrò cum Probo Consulem fuisse: sed posterius vix est, à nobis ut impetrent: fastis quippè repugnantibus, qui Probo Collegam assignant Vettium Modestũ an. U. C. cIↃ CCCCLXXXVI.

8. Arcadius Charisius libro singulari de muneribus civilibus cum hoc elogio ejus meminit: quòd *notando disputandoq; benè & optimâ ratione decreverit pleraq;*: præclaram nimirùm Logices cognitionem in illo commendans: uti & Cicero Servium Sulpitium hoc potissimum nomine, quòd artem hanc omnium maximam (Tullii verba sunt) quasi lucem ad ea, quæ confusè ab aliis aut respondebantur, aut agebantur, attulerit, omnibus propè, qui ante ipsum jus civile professi erant, anteponit. *l. fin. §. mixta 26. de mun. & honor.*

Et est sanè res non modò egregia, vim disserendi conjunxisse cum legibus, sed eadem tàm necessaria quoq;: ut nisi præsidio ea adjumentoq; fuerit, juris subtilitates neminem perfectè impetrari posse, haud injuriâ **Udalricus Zasius*

**Zas. ad l. 1. veteres de acquir. vel amitt. possess.*

Vigel. in praef. Dial. Jur. civil. adseveret: nec malè fortassis *Nicolaus Vigelius*: sine hâc arte omnem eruditionem mancam esse, ipsamq; Jurisprudentiam inanem loquentiam, vel imposturam potiùs, Rebuspub. perniciosam magis, quàm utilem. Id quod perspicientes nonnulli è nostratibus, non solùm topicam, velut Nicolaus Everhardi de Middelburgo, Magni Senatus Belgici apud Mechliniam olim Praeses, sed integram etiam Logicam, praeter ipsummet, puta, Vigelium, Joh. Thomas Freigius, Matth. Stephani, ac novissimè Daniel Otto, Phil. & J.U.D. Consiliarius Hoënloicus, Jurium Studiosis peculiarem conscripserunt.

9. Apud Gordianum Principem, qui quamvis juvenculus, contra Persas tamen beneficio & operâ Misithei, viri doctissimi, ejusdemq; soceri sui ac Praefecti Praetorio, uti ei imputat literis ad Senatum laureatis suis apud Capitolinum, res felicitèr gessit, atq; ut sibi quadrigam elephantorum, sic socero quadrigam equorum aequè triumphalem, cum insigni elogio Parentis Principum & Tutoris Reip. meruit, hoc insuper dicto apud historicos celebris: *Miserum esse Imperatorem, apud quem vera reticentur, quiq; cùm ipse publicum non usurpat, necesse est, ut auditis fidem habeat, auditaq; ratihabeat, & suo assensu firmet*, autoritate polluisse Modestinum, consilio haud dubiè spectatum, testis est locuples ipsemet Augustus: dum Sabino cuidam militi rescribit, *ad exhibendum actione non tantùm eum, qui possidet, sed etiam eum teneri, qui dolo* L. 5. C. ad exhib.

fe-

fecit, quò minùs exhiberet, meritò illi à non contemnendæ autoritatis Jurisconsulto Modestino responsum fuisse.

10. Neq; verò, quod hodiè ex ejusdem Gordiani constitutione modus legati vim habet fideicommissi, id aliundè desumtum videtur, quàm ex Modestini sententiâ, qui modum adscriptum legato Reip. relicto, ut quotannis memoria defuncti celebraretur, edito certo genere spectaculi, & in eam rem expensâ quantitate certâ, quæ sumeretur ex reditibus prædiorum legatorum, fideicommissum vocat, quod scilicet à Repub. heredibus debeatur, quorum interest memoriam defuncti conservari: sic tamen, ut si genus illud spectaculi non liceret ampliùs in eâ civitate agi, pecunia eo quidem heredum lucro cedere non debeat, sed advocatis primoribus civitatis atq; heredibus dispiciendum sit, in quam rem verti conveniat fideicommissum, ut memoria testatoris alio & licito genere celebretur. Quod quidem Modestini consilium, cùm possit ad res maximè utiles adoptari, diligentissimè notandum. Eò magis, quòd hanc ipsam legem summus ille vir & doctissimus Philippus Melanchthon ad mores suæ patriæ, hoc est, hodiernum statum Imperii Romano-Germanici, cùm illa certum genus celebrandæ memoriæ defunctorum (missas intellige, vigilias & id genus alia) passim abrogâsset, pro hujusmodi pecuniâ in aliam justam caussam convertendâ,

l. 2. C. de his, quæ sub mod. rel.

l. 16. de usufr. leg.

Cujac. 23. obs. 9.

dâ, veluti in institutionem juvenum, quò sic alio genere conservetur memoriâ defuncti, rectissimè accommodârit: ipsomet Cujacio, dùm sanctam illam apiculam, immò ἀηδόνα μηδένα βλάψασαν citat, hoc ei testimonium ultrò perhibente. Tanta nimirùm vis est doctrinæ ac virtutis, ut etiam ab inimicis prædicetur. Et verò angusti admodùm animi & parùm ingenui est, ob partium studia suum ulli jus, suum decus, suam laudē intervertere & ex aliorum obtrectatione ad famam grassari. Sed hæc fortassis ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα.

Cujac. in lib. XI. quæst. Papin. postumo ad l. ult. qui not. infam.

II. De scriptis restat, ut dicam, quæ à Modestino in jure edita. Eorum verò elenchus hujusmodi: Responsorum libri undeviginti; Pandectarum duodecim, qui plusquàm septuagies in Digestis laudantur; Regularum decem; Differentiarum, in quibus verborum ad jus civile pertinentium discrimina & notationes accuratissimè explicavit, novem; Excusationum sex, de pœnis quatuor; de præscriptionibus totidem; libri autem singulares, de præscriptionibus, de inofficioso testamento, de manumissionibus, de legatis & fideicommissis, de testamentis, περὶ εὑρηματικῶν (quo nomine consilia intelligunt, & cautiones, juris sui cuiq; tuendi caussâ excogitatas, quas nostri cautelas nominant) de enucleatis casibus, quasi dicas exquisitis, & selectis, quomodò Caper vetus Grammaticus de sermone enucleato scripsit, & in libris nostris jus enucleatum, necnon compositores juris enucleati pas-

Eberl. de orig. jur. c. 52. n. 46. Aus. Pop ma de usf. verb. in præf.

Cujac. lib. 12 obs. 32. Eberl. de orig. jur. c. 30. n. 27.

In inscript. pandect. & tit. C. de veti jur. e-

passim laudantur, de differentiâ dotis, ac deniq; *auth. & tit.*
de ritu nuptiarum. Ad Q. Mucium scripsisse *C. de emend.*
eundem libros aliquammultos docet inscriptio *Cod. Justin.*
l. LIII. & seq. de acquir. rer. domin. ubi Mo- *& l. maximum viti-*
destini liber decimus quartus & trigesimus pri- *um C. de li-*
mus ad Mucium citatur. Sed non nisi hæc duo *ber. præt.*
eorum librorum capita exstant.

CAP. XXXVI.

1. LICINIUS RUFINUS inter prudentes, quos Alexandri avo eruditio atq; variarum rerum experientia insignivit, refertur: sed qui tamen ad illius imperium minimè restringendus: cùm & ante illum, & illo jā defuncto claruerit. Exstant ad eum in Codice tria Imperatorum rescripta: *l. 3. C. de fideicommiss.*
Antonini Caracallæ Læto II. & Cereali Coss. h. e. anno Christi CCXVII. Alexandri Pompejano & Pæligno (legendum indubiè *Feliciano*) Coss. A. C. CCXXXIII. Gordiani deniq; Ulpio & Pontiano Coss. A. C. CCXL. sexennio nimirùm antè, quàm Philippus Arabs, Gordiano interfecto, rerum potiri cœpit, quem cum filio, Imperatore quoq;, Christianum fuisse antiquissimi autores consentiunt. Cui quod ejus in Gordianum perfidiam fidem abrogare existimant, frustrà sunt: quot enim perfidi ex Christianis? quanquam est etiam credibilius, eum post scelus demùm patratum Christianum effectum.

l. 1. C. etiam per procur. in integr. restit. — *l. 8. C. de transact.* — *Euseb. lib. 6. c. 27. Oros. lib. 7. c. 20. M. Welser. rer. August. Vind. lib. 6. p. 159.*

2. Iis-

Cujac. 7. obs. 2.

Rem. in praef. Spicilegii in Proverb. Salomonis.

2. Iisdem sacris Rufinum quoq; initiatum fuisse, in observationibus suis Cujacius, quem nihil eruditæ antiquitatis latuisse creditur, asserit: eum ipsum nempè, quem Georgius Remus Jureconsultus ac Philologus celeberrimus pro derelicto habitis legum studiis ad sacræ historiæ tractationem se contulisse, & succincto stylo successus illius temporis Ecclesiæ (quæ nuperrimè principes Christianos nacta erat) descripsisse, posteritati non parùm suo labore consulentem, affirmare non dubitavit. Sed id magno profectò errore: quippè cum scriptorem hunc Ecclesiasticum, Rufinum, Aquileiensem Presbyterum, Nicæni Concilii temporibus posteriorem, tertio demùm DEI incarnati seculo exeunte floruisse, B. Hieronymo σύγχρονον, qui ad ipsum scribens Apol. 3. *Tantam habes*, inquit, *Græci & Latini sermonis scientiam, ut Græci te Latinum, ut Latini Græcum putent, tàm mihi certum est, quàm mero meridie lucem lucere:* Quod ipsum tamen non dico, ut, quos veneror, magni viri, ac dùm vixit nobis amicissimi manes violem: absit à me ærugo ista, absit protervitas: sed ut æquioribus utar doctis viris: si fortè similis mihi error, sive potiùs μνημονικὸν ἁμάρτημα obrepat: longè alioqui paratiori, propria peccata corrigere, quàm παροράματα aliena nævosq; indagare.

3. In jure scripsit noster Regularum libros circiter tredecim: autor idem collationis illius le-

legum Iudaicarum & Romanarum, quæ hodieq; exſtat, luci primùm lucidisq; notis donata à γνησίω illo Cujacii diſcipulo antiquitatis vindice P. Pithæo, deindè & à Rittershuſio noſtro in Enchiridion juris Quadripartitum relata, non nemini creditus: ſed Pithæo tamen ipſo minimè adſtipulante: qui collectorem ejus libelli videri ait Theodoſii junioris temporibus vixiſſe, & poſt Conſulatum quidem ejus XV. quo demùm Codex editus legitur, ex quo hic conſtitutionem de impudicis retulit unam. Pluribus de iſto autore agit Marquardus Freherus in parergis, monachi alicujus ante Iuſtiniani tempora exiſtimans illum laborem eſſe: qui in bibliothecis viderit, à Græcis etiam hominibus ſimiles illi compilationes, legum divinarum cum Cæſareis collationes, eosq; non unius generis per eclogam factas. Quisquis verò tandem collationem iſtam fecerit, etſi nullâ arte, delectu (ut ipſa clamat) nullo conſarcinatam, multa certè ei debemus priſci juris fragmenta: in eoq; expoliendo magnam & utilem operam præclarisſimi viri navârunt. Freh. lib. 1. parerg. c. 8.

Cap.

CAP. XXXVII.

1. AURELIUS ARCADIUS CHARISIUS, multiſcius ac bonæ mentis Jureconſultus, idemq; (ut autor eſt itidem acutisſimus ille & divinus obſervator) Chriſtianus, poſt Herennium Modeſtinum ſcripſit: uti ipſomet teſte ex *lege ultimâ de muner. & honorib.* cognoſcitur.

2. Vixit haud inglorius: magiſtri quippè libellorum officio, (quod Juriſconſultis mandari ſolebat, ità quidem, ut ad libellum appoſitâ ſubſcriptione Principis magiſtri libellorum, vel pro magiſtri ſubſcriptio ſequeretur) functus, legis unicæ de offic. præf. præt. ἐπιγραφῇ atteſtante: idq; fortasſis poſt Probum Imp. interemtum regnantibus Caro patre, Carinoq; & Numeriano filiis, quorum eſt ad hunc lex quarta, C. de calumniat. ſcripta Caro & Carino, Coſs. hoc eſt, anno ſalutis CCLXXXIII. Exſtat & ad eandem, præſidem Syriæ, lex nona C. de quæſtion. Diocletiani, qui ſibi immani ſævitiâ, quâ in omne Chriſtianorum nomen religionis odio graſſatus eſt, æternas infamiæ notas, ceteroqui non pesſimus princeps inusſit, &, quem is in imperii conſortium adſumſerat, Maximiani A. A. illo quartum, hoc tertium Coſs. h. e. Anno Chriſti CCXC. ubi tamen per errorem pro Chariſio legitur Charisſimo: iterumq; lex ſeptima ac vigeſima C. de pact. eorundem Imperatorum:

Cujac. 7. obſ. 2.

Guid. Pancirol. lib. 2. theſaur. var. lect. cap. 79.

rum: ubi haud minùs mendosè Aurelio Chresimo pro Aurelio Charisio scriptum est.

3. Reliquit de testibus librum singularem: de muneribus item civilibus: nec non de officio Præfecti Prætorio, materiâ illa rarâ, nec nisi paucis agitatâ, quos inter viro Clarissimo, Senatori & Consuli olim Romæ, immò apud celeberrimum Gotthorum Regem Theodoricum non Cancellario solùm, sed & Patricio, qui indè quoq; Præfecto Prætorio, Magno Aurelio Cassiodoro, multum certè res litteraria debet: quod ut aliorum magistratuum, ità & Præfecturæ hujus formulam, dignitatem ac potestatem nobis conservavit.

CAP. XXXIIX.

1. AGmen claudunt JULIUS AQVILA, & RUTILIUS MAXIMUS: de quibus dictum illud nobilis cujusdam hujus ævi scriptoris, Famam alios mereri, alios habere, haud injuriâ fortè an usurpes: eò quòd ille duabus tantùm legibus, sub titulis de administratione tutorum, & de suspectis tutoribus; hic verò unico non nisi capite ex libro singulari ad legem Falcidiam titulo de legatis primo innotuit. Cætera nempè, quæ scripserunt, communi illo naufragio pessum ivêre. Ut propterea ætatem illorum curiosiùs investigare vana videatur diligentia.

2. Tametsi verò rarum non est, ut Rutilii autoritate Jureconsulti ceteri utantur: ex vetustioribus tamen hic fuit, nempè *P. Rutilius Rufus, P. Mucii discipulus, qui Romæ Consul fuit cum Cn. Manlio, anno* U. C. cIɔcXLIIX, idemq; Asiæ pro-Consul, ut est apud Pomponium, vel si Ascanio credimus in divinat. C. Mucii Asiæ pro-Consulis quæstor, aut (quod vero propius) legatus, ut scribit Livius libro septuagesimo: vir apprimè doctus, innocentiæ, sinceritatis & candoris exemplum: sed cujus non aliud precium tulit, quàm ut iniquo judicio ab equitibus, quibus invisus esse cœpit, quòd à publicanorum injuriis Asiam defenderat, repetundarum damnatus (à quo tamen crimine non minùs, quàm pro-Consul ipse alienissimus fuerat) in exilium mitteretur. Ceterùm in eo (ne quid dicam, quàm honorificè ab Asianis exceptus fuerit, ut quocunq; iret, triumphare videretur) sic affectus, ut æquiori animo passus sit se patriæ eripi, quàm sibi exilium, ipsiq; adeò Sullæ Dictatori, cui tunc nihil negabatur, reditum suum negaverit, ac longiùs etiam fugerit, de quo sic vatum disertissimus:

Cujac. 2. obs. 27. v. Forster. hist. jur. civ. lib. 2. c. 27.

Sen. lib. de prov. cap. 3.

Et grave magnanimi robur mirare Rutilī,
Non usi reditus conditione dati.

Ovid.

Quin cùm alius quidam, familiaris ejus, bonæ spei plenum, ac maturi in patriam reditus securum esse juberet, quòd instarent civiles discor-

diæ, quarum occaſione ac beneficio ſors exulum rurſus in priſtinum ſtatum collocaretur: *Quid tibi*, inquit, *mali feci, ut mihi pejorem reditum, quàm exitum optares? Malo, ut patria exilio meo erubeſcat, quàm reditu mœreat.* Memorabile ejus apophthegma refert Valerius Maximus: quòd cùm amici cujusdam iniquæ petitioni reſiſteret, isq; per ſummã indignationem indixiſſet: *Quid ergò opus eſt mihi amicitiâ tuâ, ſi, quæ rogo, non facis?* reſpondit ipſe: *Immò, quid mihi tuâ, ſi propter te aliquid inhoneſti ſim facturus?* Tanta nimirùm juris legumq; illi fuit reverentia, ut nullam niſi cum juſtitiâ conjunctam ſibi cum propinquis amicitiæ neceſſitudinem putaret. Orationum illius his verbis meminit Svetonius in Auguſto: *Etiam libros totos & Senatui recitavit & populo notos per edictum ſæpè fecit: et orationes Q. Metelli de prole augenda, & Rutilii de modo ædificiorum, quò magis perſvaderet, utramq; rem non à ſe primò animadverſam, ſed antiqvis jam tunc curæ fuiſſe.* Romanarum deniq; rerum hiſtoriam ſcripſiſſe, autores Athenæus & Vellejus Paterculus: quorum ille cùm inter triumviros iſtos, qui ſoli ſervarint legem Fanniam ſumtuariam, Rutilium refert, ſic illum circumſcribit: καὶ ῥουτίλιος ῥοῦφος, ὁ τὴν πάτριον ἱστορίαν γεγραφώς. h. e. *qui patriam hiſtoriam ſcripſit.*

Sen. lib. 5. de benef. cap. 37.

V. Max. lib. 6.

Suet. in Aug. c. 89.

Athen. lib 6 δειπνοσοφ.

Vell. lib. 2.

3. Fuit & alius *Rutilius* ex recentioribus, Theodoſii Magni temporibus, nempè CL. Rutilia-

nus Numatianus, Gallus, rarus & eruditus scriptor, B. Chrysostomo, aliisq; Ecclesiæ luminibus coævus: sed paganus ipse, summis Romæ honoribus perfunctus: ut qui Tribunus militum, Præfectus Urbi & Præfectus Prætorio fuerit: tutor quin etiam Arcadio Orientis Imperatori à patre relictus: sed qui cùm ex invidiâ Stiliconis à tanto fastigio altiùs adhuc tenderet, & ipsius augustalis culminis partem affectaret, perq; vim Gotthicam, ad Alarici copias id sibi exprimere satageret, ambitum hunc suum sanguine luit, Stiliconis operâ à militibus in oriente trucidatus. Laudatur subindè politissimum opus Hodoeporicon sive Itinerarium: recensitum antè annos haud ità multos & animadversionibus doctissimis illustratum ab litteratissimo Caspare Barthio.

EPILOGUS.

1. ATque hactenus ergò Jureconsultorum veterum, de quorum verbis Pandectarum capita, velut centones quidam, composita leguntur, elogia, oratione brevi ac soloci, quod dicitur, filo, haud illa quidem Decimo alicui Lælio, aut Persio, sed Siculis & Coseutinis, ut verbis utar Lucilii, juventuti, inquam, studiosæ, per læta ac lata Musarum vireta ad Justitiæ Romanæ templum pleno gradu contendenti à nobis concinnata: in cujus

jus etiam gratiam, ut jejunæ tractationis tædium discuteremus, è Φιλολογίας penu paucula quædam, sesami ac papaveris loco, subindè inspersimus.

2. Et verò ex hâc commemoratione, præterquàm quòd temporum, quibus vixerunt illi, observatio exactior, in dijudicandis discutiendisq; responsis non minimum habet opportunitatis ac momenti, hoc me insuper consequuturum non despero: ut ubi cognoverint honestiores animi, quanti illi viri & in quanto honore atq; existimatione semper fuerint apud eos, qui ipsi æstimati atq; honorati summè fuerunt, non modò ad illorum scripta nocturnâq; diurnâq; manu versanda eò majori ardore & cupiditate ferantur; sed & ad virtutes eorundem æmulandas magis magisq; incitentur & inflammentur.

3. Illud equidem nemo eruditorum nobis objecerit, opinor, quòd plerisq; omnibus (paucissimi enim sunt, quos excipere liceat) Evangelicæ veritatis defuerit cognitio, & Christianæ ac salutaris fidei confessio. Aut si quis tamen sit, qui objicere velit, Balduinum, obsecro, audiat in præfatione commentarii de Muciorum Jurisprudentiâ sic respondentem: *Defuit sanè Muciis nostris illa cognitio religionis veræ, sine quâ tàm inanis esse virtus videtur, quàm quæ sine virtute est doctrina. Sed eorum ego tamen hanc ignorationem cum aliquâ cognitionis cu-*

pudit ate conjunctam minùs reprehendere possum, quàm vel cognitæ religionis superbum fastidium, vel inanem fictæ pietatis speciem, artificio simulationis eruditam, & veluti ad fallendum compositam. Et verò cùm nec ob eandem caussam, aut Aristotelis rejiciamus Philosophiam, aut Hippocratis & Galeni medicinam, artesq; alias ab Ethnicis inventas: cur fraudi nobis sit, aut vertendum vitio: si in legum divinarum societatem ea quoq; ad usum Reipub. transferamus, quæ Ethnici quondá excogitata ingeniosè, aptè disposita, pari æquitate ad civilem ordinem ad disciplinam prodiderunt? Equidem præstantiora bona esse nemo negaverit, quæ per verbum DEI communicat sacer spiritus; ut Besechi & Oliabo scientia fabrilis divinâ inspiratione erat tradenda. Sed tamen nec Ethnicorum in re civili sapientia est neganda: cùm nihil mereri laudem queat, aut dici præclarum: quod non recognoscamus à DEO provenire: bonasq; leges εὕρημα καὶ δῶρον θεοῦ esse præter Demosthenem Marciano laudatum, plures Ethnicorum alii præ se tulerint læti lubentesq;. Eô quidem minori nobis scrupulo relicto, quòd Justinianus omnia nunc sua fecerit, ac quantum fieri potuit, impia quæq; ac scandalosa sustulerit.

Exod. 31. 2. & 35. 30. Casp. Dorn. in Men. Agrippa p. mihi 51. l. 2. ff. de legib.

4. Et ut maximè non eam inficias, superesse adhuc in Pandectis nonnulla paganismi vestigia, ut quædam sunt, quæ de religiosis locis ha-

l. 9. §. 1. de rer. divis. l. 5. §. 12. de don. int.

habentur; de evocatione sacrorum; de oleo pro uxore in æde sacrâ à marito posito; de lucernâ alternis mensibus ad monumentum accendendâ: propter unam tamen atq; alteram, vel paucas deniq; reliquas labeculas totum opus pro maculoso minimè habendum: sed Balduini potiùs, toties nobis laudati, sequendum consilium, hujusmodi verbis conceptum: *Magnam quidem operam Justinianus dedit; ut delerentur maculæ veteris superstitionis, quibus libros suos inquinârant Romani Prudentes. Sed omnes profectò labes (si verum liberè dicere fas est: sed est fas, heîc præsertim) non eluit, neq; facilè potuit: multas etiam Pandectis suis, si non aspersit, certè aspersas reliquit. Locum nunc unum notabo, qui mihi succurrit. Testator quidam jusserat signum DEI (ut loquebatur) statui in æde sacrâ. Consultus Scævola respondet, statuam, eamq; quàm preciosissimam esse statuendam. Id Scævolam respondisse non miror. Miror in Pandectas ab Justiniano esse relatum. Quid enim hoc aliud est, quam delirio ethnici testatoris subscribere, idolum in templo erigere, & id DEI signum improbè falsoq; appellare? Hoc certò jus esse non potest, non justa lex, non responsum, quod vim legis habeat. Id itaq; legemus, at in Ethnicorum libris multa, quæ non probamus, leg[...]us, & historicam tantùm narrationem quandam [e]sse interpretabimur.* Hactenus ille.

vir. & ux. l. 44. de manum. test. stam.

 Neq;

5. Neq; verò negari poteſt, plurimarum illuſtrium virtutum exempla, tàm in vitâ, quàm nomotheſiâ Jureconſultorum noſtrorum conſpici, quæ imitari atq; exprimere ne Chriſtianum quidem pœniteat vel pudeat: immò quæ non imitari, ſed deſerere, pudor ac flagitium ſit iis, qui cùm Chriſto nomen dederint, *quæcunq; ſunt vera, quæcunq; veneranda, quæcunq; juſta, quæcunq; pura, quæcunq; amabilia, quæcunq; boni nominis, ſi qua virtus, ſi qua laus eſt; hæc reputare.* Spiritus ſancti oraculo ſub Philippenſium perſonâ jubentur: *Nunquam antehac magis expertus ſum*, vir inquit ſummus, *verum eſſe, quod ſcribit Auguſtinus ex Ethnicorum benefactis, acriores addi ſtimulos ad virtutem, quàm noſtratium, cùm ſubit animo, quàm turpè ſit, non ea perſpicere pectus Evangelicâ luce illuſtratum, quod perſpectum eſt iis, quibus ſola naturæ ſcintilla prælucebat. Non præſtare nos, qui ſub Chriſti vexillis militamus pietati, qui ſtipendium immortalitatis ab eodem expectamus, quod præſtiterunt ii, qui nihil hominis à rogo ſupereſſe, aut ſuſpicati ſunt, aut planè crediderunt?* Hæc ille: eò quidem veriora, quòd *Chriſtianos cum bonâ religione malè viventes longè eſſe deteriores & culpabiliores quibusvis barbaris, tàm paganis, quàm hæreticis,* ſubindè nobis inculcet Chriſtianisſimus ſcriptor (quo elogio eum optimus talium æſtimator Joſephus Scaliger meritisſimo ornat) Salvianus Epiſcopus Masſilienſis: idemq; non tantùm præmonitor ac deplorator ævi ſui calamitatum, ſed

Philipp. 4. v. 8.
Eraſm. præfat. in offic. Cicer.

sed & vitiorum ac flagitiorum, quæ tunc in populo Christi nomen professo quasi dominatum obtinebant, oppugnator acerrimus.

Et nostra quali ab seculo Episcopo et C. Rittershus.
Censore morum quantoperè indigent!
Sentina dùm orbem pravitatis
Omnigena urget adobruitq́;.

Minimè ut sit mirandum, si æquè ac ii, qui Salviani temporibus vixêre, per ipsos tandem barbaros puniendi videamur: ut qui flagitiosissimis atq; impurissimis moribus blasphemari faciamus nomen DEI & doctrinam inter barbaros, atq; ità DEUM, quamlibet invitum, expugnatâ quasi ipsius patientiâ, longanimitate atq; clementiâ, cogamus ad pœnas de nobis reposcendas. Ea certè jam nunc rerum facies, quasi vindex DEUS τὰ ὑπέρτερα νέρτερα θήσει: in tantâ præsertim plerorumq; perversitate: ut ne pœnis quidem emendari velint, sed potiùs deteriores per eas evadant, & in ipsis malis amittant sensum malorum: fiatq; adeò idem planê, quod olim per Prophetam de populo Israëlitico conquestus est Dominus: 1. Timoth. 6. v. 1.

Milvius agnoscit tempus suum in æthere: turtur, Jer. 8. v. 7.
Et vaga hirundo sui, rubroq́; ciconia rostro,
Custodiverunt adventûs tempus: at eheu!
Judicium Domini populus meus ignoravit.

aut quod suo tempore factum clamat idem Salvianus: *Vastata est Italia tot jam cladibus, ergò Italorum vitia destiterunt? Obsessa est Urbs Roma & expugnata, ergò desierunt ac blasphemi ac*

furiosi esse Romani? Invaderunt Gallias gentes barbaræ, ergò quantum ad mores perditos spectat, non eadem sunt Gallorum crimina, quæ fuerunt?

7. Quidni verò vel tandem, si sapimus, ad bonam frugem redimus: deq; expiandis per pœnitentiæ veritatem culpis nostris, de impetrandâ per fidei sinceritatem DEI gratiâ, deq; delictorum veniâ & calamitatum mitigatione per precum ardorem obtinendâ laboramus sedulò. *Quis scit, si convertatur, & ignoscat DEUS, & relinquat post se benedictionem?* Ità faciamus, ô Christiani! ne si porrò lacessere DEUM sic pergamus, cladis publicæ, immò πανωλεθρίας non acceleratæ modò, sed & auctæ culpa, quæ maximum imprimis malum censendum est, nobis jure queat imponi.

Joël. 2, 14. Jon. 3, 9.

Id. Rittersh.

Exorbitatum est jam satis ac super;
Tempus revorti est officii in viam,
Planè ille desperatus æger,
Cui medicina malum aggregavit.

8. Sed quò delabor? Ita fieri solet, ὅπου τις ἀλγεῖ, κἀκεῖ καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει, *Ubi dolor, ibi manus*: atq; ut laurus, dùm crematur, tacere nequit: sic ne vir bonus, bonusq; civis intueri potest fidentem in cineres patriam & sentire ardorem flammæ, quin queratur & ingemiscat. At enim quo consilio, quo fine ac spe qualiscunq; hæc scriptiuncula à me suscepta, id verò dicere volui: haud aliâ nempè, quàm in studiosæ juventutis rem atq; usum: quæ nisi me sciens ipse

fal-

fallo, inveniet heîc non pauca, quibus & melior & doctior reddatur. Ut tamen intereà ne doctrinâ quidem præstantibus (si quis fortè pagellis istis oculum adjicere, aut manum admovere dignatus fuerit) ingratam fore sperem eorum, quæ antè legerunt, ὑπομνήμοσιν. *Dulcissima enim & grata cognitio est etiam nota repetenti*, ut ait elegantissimus sacræ scripturæ Scriptor Sulpitius Severus. Quòd si tamen secùs res ceciderit: mittat per me licet, qui volet, cùm annalibus Volusianis in vicum vendentem

— — thus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

FINIS
COMMENTARIOLI
N. H.

De Veteribus Jureconsultis, qui responsis suis & commentariis Pandectas constituerunt.

Ad Commentarium
De
VETERIBUS JURE-CONSULTIS
MANTISA,

In quâ

I. *Jureconsultorum veterum, quorum verba pro legibus in Pandectis leguntur, commemoratio metrica, auctore* NIC. HENELIO D.

II. *In veteres Jureconsultos duodequadraginta, disticha totidem Casparis Cunradi D.*

III. *Catalogus Jureconsultorum veterum auctore Johanne Lorichio Hadamario.*

IV. *Ad eosdem Lorichii Jureconsultos Notæ.*

Nobilissimo pari fratrum,

GEORGIO-FRIDERICO & JOHANNI-CHRISTOPHORO SCHÖNBORNERIS de & in Schönborn ac Zissendorff, amicis suis charissimis

S. P. D.

NICOLAUS HENELIUS. D.

QVamobrem opusculi mei, in quo Juris Civilis Romani, hoc est, omnium Imperiorum & Rerumpub. præstantissimi veterum conditorum & ex quorum adeò responsis quinquaginta Pandectarum libri compositi sunt, velut in exiguâ tabellâ adumbratas imagines antè oculos hominum posui, appendicem vobis istam, Nobilissimi Fratres, donare voluerim, caussæ me impulerunt diversæ. Prior quidem præcipua, ut vobis hæc mea inscribendo aliquo saltem gratitudinis libamento manes paternos devenerarer: aut ad aram saltem Memoriæ suspenderem, non omninò quale velim, sed quale possum hoc tempore monumentum ac testimonium interioris istius amicitiæ, quæ mihi cum genitore vestro, quem nunc sedes beatorum capit, indè usq; ab anno hujus seculi se-

cun-

cundo intercessit, & quam uterq; semel contractam, arctissimoq; studiorum vinculo copulatam, minimè unquam posthabuimus: sed quibus principiis sancita fuit, iisdem cùm alere ac firmare, tùm amplificare atq; augere annisi sumus, quomodo nimirùm & optimus ille dicendi artifex Qvintilianus, ut sacris, sic & studiis, initiatos iisdem immortalem agere amicitiam censuit. Posterior verò, ut honestissimum vestrum desiderium, quod cùm insinuaret mihi aliquando pater, non sine summâ animi exultatione, in mentem mihi venit, quod Oloro patri Thucydidis dixit Herodotus: ὦ Ὄλορε, ὀργᾷ ἡ φύσις τοῦ υἱοῦ σου πρὸς μαθήματα, tanquam idoneo aliquo phyltro, magis magisq; accenderem: & ad colenda præsertim Jurisprudentiæ Romanæ studia, illam dico artem æqui & boni, quæ ab sapientissimis auctoribus & gubernandarum Rerumpubl. peritissimis composita ferè orbi terrarum cultiori dominatur, cujus præter lingvam magnificentiâ quadam & honore plenam, singularem & sapientiam & pietatem, & admirandam varietatem prædicat Sanctus Gregorius, à miraculis, quibus claruit, θαυματουργὸς dictus, quam deniq; non ut hominum inventum, sed ut Providentiæ æternæ munus venerandam esse, Iureconsultus sine controversiâ primarius verissimè pronunciavit, inflammarem.

Idq; eò majore lubentiâ, quòd tale aliquid me patri vestro exposcenti promisisse meminissem: liberandæ ob id fidei percupidus: ne illo-

rum

rum accederem numero, quorum hoc studium est, ut addicant multa, nihil præstent.

Enimverò adolescentes florentissimi, ad magnarum molimina rerum indoles utrique vestrûm alta est: earumq; gerendarum instrumenta omnia quasi virgulâ divinâ vobis suppeditata. Tàm præclaram occasionem, ne tanto Numinis favori defuisse ipsimet arguamini, amplexati, veteranæ gloriæ patris vos nunc tyrones succrescite. Tu cumprimis, GEORGI-FRIDERICE: cui cùm Comitivæ dignitatem pater velut lampada in cursu tradiderit, an tu credis eam te sinè opprobrio, ac ne Salviani illud Massiliensis audire cogaris: *Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* tueri posse, nisi stipatum comitatu & præsidio patriarum artium & virtutum? Falleris & immensum falleris, si hoc in animum induxis tuum. Sed non falleris, neq; tu, neq; frater, spem de vobis conceptam: si præsertim cum animis vestris perpendatis, quàm vobis pro gravi adversariâ constitutus sit ille ipse pater vester: quē publicâ consentiente Germaniæ famâ, solidæ prudentiæ, eruditionis ac probitatis insigne fuisse exemplar, salubribus consiliis privata & publica rectè disposuisse, in obscuris perplexisq; rebus tanquàm oraculum audiisse, tanquàm salutare sidus fulsisse, hautquaquam ignorare potestis.

Talem utiq; expertus cumprimis FERDINANDUS II. Cæsar nuper gloriosissimus: cujus cùm negocia fiscalia, in mediâ patriâ, in oculis suo-

ſuorum civium, integritate, juſtitiâ & moderatione ſummâ tractâſſet, non ſolùm inter Conſiliarios auguſtales adſciſci, ſed & ad Equeſtrem ordinem adſcribi, atq; adeò Comes quoq; Palatinus Cæſareus (quod inſigne eſt hominum eruditorum præmium, & ut Pindarus ait, πισὸν ὅρκιον μεγάλας ἀρετᾶς) hâc lege conſtitui meruit: ut ea dignitas non cum perſonâ exſtingveretur, ſed hereditario jure ad filium quoq; primogenitum, exemplo in his terris raro, aut, ſi Johannem Cratonem excipias, ὡς ἐγὼ μνήμης ἔχω, penè nullo, propagaretur.

Quid dicam de præclaro ipſius benè de re litterariâ, benè de poſteritate merendi ſtudio? Loqvuntur abundè cùm alia ſcripta dudùm ab eo vulgata, tùm politisſimi illi Politicorum libri: qui quòd continuâ methodo & brevitate omnia digerant, & è viſceribus non tantùm univerſalis, ſed & ſpecialis hodiernæ Romano-Germanicæ Reipub. depromti, priſcis recentia, & utilibus dulcia ubiq; miſceant, omne haut immeritò tulerunt punctum, id quod abundè teſtantur tot illorum intra pauculos annos editiones, quod in hoc ſcripti genere vix fortean compertæ aut viſæ. Gymnaſii quidem Anhaltini Rector, MARCUS FRIDERICUS WENDELINUS, tanti fecit: ut ex iis potisſimùm, in auditorum ſuorum uſum, Politicum ſyſtema concinnandum putarit: haud quidem, ut ea res auctori fraudi, ſed incitamentum potiùs eſſet ad novam

editionem, quam politicis observationibus au-
ctam paullò antè obitum ὁ μακαρίτης promise-
rat; ac nosmetipsi non minori desiderio expe-
ctavimus, quàm plus vice simplici rogavimus
seriò: ut & reliqua ingenii ac doctrinæ suæ mo-
numenta, quæ tunc premebat, durus hac parte
pater & immitis, in lucem & manus hominum,
cum immortali nominis sui commendatione,
venire pateretur. Quid de reliquis viri virtu-
tibus & ornamentis dicam invidendis? Ego sa-
nè, quoties mihi Enniani illi de Geminio Servi-
lio occurrunt versus, toties mihi antè oculos
SCHÖNBORNERUM meum pono: atq; illis
ipsis hexametris prorsùs mihi depingi credo.
Erat enim non minùs, quàm ille,

— — doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', suo contentu', beatus
Scitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens anteiqva, sepolta, vetusta,
Quai faciunt mores veteresq; novosq; tenentem;
Moltarum veterum legum, Divomq; hominumq;
Prudentem, quei molta loqueive tacereve posset.

Sed non mihi propositum est hoc loco in laudes parentis vestri pluribus insurgere: tùm ne non magis ipsi vero, quàm amori erga defunctum meo videar indulsisse, aut nimiùm vobis grati-ficari voluisse: tùm quia ego non satis facundus ac disertus animi mei adversus illum interpres. Summa duntaxat rerũ fastigia libare, & quamvis suà sponte satis acritèr incitatis, calcar addere vo-

volui: ut cujus patris filii sitis, ejus nimirùm, cui per omnia, ut de Pompejo Florus loquitur, & decus, & nomen, & titulos vivo dum ac superstiti, sua quæsivit virtus, assiduè recordati, in pietatis & optimarum artium studio, in virtutis laborumq; stadio alacriter decurratis: & sic tandem ad optabilem metam, ad illa

Edita doctrina sapientum templa serena,

(sed antè quæ ἱδρῶτα θεοὶ, cætera nostis) pleno atq; inoffenso gradu perveniatis.

Omnis in Ascanio chari stat cura Parentis;

de Ænea quondam cecinit princeps Poëtarum, Maro. In vobis pariter omnes curæ & cogitationes patris eò magis erant defixæ: quòd non tantùm vos sibi, ut filios, sed & Reipubl. ut cives genuisset. Rependite vicem tantæ pietati, ac parentem vobis idem, quod idem Æneas post vulneris obligationem ad prælium rediturus, Ascanio suo,

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem,

Itemq;

Tu facito mox, cum matura adoleverit ætas,
Sis memor: & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector,

è tumulo dicentem putate: atq; adeò sic semper ante oculos habete: ut tanquàm illo spectante vivatis, & omnia tanquam illo vidente faciatis. O felices filios, qui patrem è vivis sublatum sic revereri possunt, ut ad memoriam quoq; ejus se componant atq; ordinent! Id

certè si curæ ac cordi vobis fuerit: nihil nisi quod generosum, quod præclarum, quod cum æternâ vestra gloriâ conjunctum sit, à vobis fiet, aut nos factum cognoscemus: quin novis accessionibus, quà familiam honoratissimam, quà patriam universam eum in modum illustrabitis: ut BONO REIPUB. NATI meritissimo vestro dici queatis. In quo glorioso vobis omine lubens heîc lætusq; sisto: & felicem vobis ad optima progressum animitùs voveo. Benè valete, nec προσφώνησιν modò istam æqui boniq; facite, sed & Filium meum, quem habeo unicum, CHRISTIANUM FRIDERICUM, si merebitur, sic complectimini: quomodo me parens vester, quoad vixit, complexus fuit: ut hoc pacto, qui in nobis cœpit adfectus, maneat quoq;, cum esse desierimus, in nostris. Uratislaviæ postrid. Kalendas Octobreis anni à nato Christo cIɔ Iɔc XXXIX.

Ad
Magnific. juxtà ac Nobiliss.
Dn. Autorem.

JUstitiæ culto dum carmine fulcra celebras,
Nec pateris tantos morte perire viros:
Extruit ætheriâ Tibi Phœbus in arce columnam:
A Musisq́ mori nescia fama datur.
Utilibus Clotho protendat stamina vitæ:
Talia quò posthac edere plura queas.

Ita Dn. Hospiti Favitori suspiciendo acclamabat Breslæ in conventu

Christophorus Hain à LöWenthal, Lib. Baron. Trachenb. Cancellarius.

I.

COMMEMORATIO METRICA JURECONSULTORUM VETERUM, quorum verba pro legibus in Pandectis leguntur, autore NICOL. HENELIO D.

I.

Q. MUTIUS SCÆVOLA.

Doctrinâ florens ac vitâ puriter actâ,
Libera dum quando res tua, Roma, fuit.
Haut modò respondi de jure rogatus & æquo:
In precioq; meis civibus indè fui.
Ad formam normamq; artis sed civica jura
Primus ego, ut noris, corrigere institui.
Qui mihi in Urbe, orbis Reginâ, quæris honores?
Pontificis munus, Consulis officium.

II.

ÆLIUS GALLUS.

Verborum scripta est mihi significatio juris.
Eximiæ fuit hoc utilitatis opus.

III.

P. ALFENUS VARUS.

Me quoq; sacrarum veneranda scientia legum
Consultos inter collocat eximios.
Sutor eram: clausâ didici sed jura tabernâ:
Rerum indagator percupidus veterum.
Hinc Consul factus. Quàm fasces atq; curulis,
Sed famæ nobis plus peperêre libri.

IV.

IV.
ANTISTIUS LABEO.

SI quisquam antè alius, discussi ænigmata legum,
Ille ego & Astrææ lux, Sophiæq; decus.
Doctrinâ fretus priscorum dogmata sæpè
Perstrinxi, ingenii multa novavi & ope.
Libertas fecit magnis invisa dynastis:
Majora ut fuerim, quàm tulerim, meritus.

V.
LICINIUS PROCULUS.

IUris ego præstans habitus, non futilis auctor
A Divis merui fratribus elogium.
Munia mî credebat Otho, majora togato.
Apta sago nec enim mensq; manusq; fuit.
Litigium, Cassi, mihi tecum acre: indèq; duplex,
Illa meum, hæc nomen secta professa tuum.

VI.
PRISCUS NERATIUS.

COnsiliis nostris Trajanus & Aelius usi.
Ingenio his placui, dexteritate, fide.
Quem sibi Trajanus voluit succedere: tanti
Nos habuit, meritis favit & ille meis.

VII.
P. JUVENTIUS CELSUS.

ÆLius imperium tenuit quo tempore, vixi,
Juridicos inter gloria magna sophos.
Prætextamq; fui Latii bis nactus honoris:
Nempè à consilii hoc dexteritate mei.

VIII.

PRISCUS JAVOLENUS.

CUm laude & docui & respondi Jura, Qviritum
Temporibus priscis urbs quibus usa fuit.
Autographi periére libri: fragmenta supersunt,
Quæ prisci nomen docta per ora vehunt.

IX.

SALVIUS JULIANUS.

NOmine qualis eram, talis quoq; Salvius usu.
Prætorum edicta hoc reddita salva docent.
Et Pio eram, divis & charus fratribus olim:
A será hinc nomen posteritate fero.

*

Prætorum edictis medicus fuit iste: salutem.
Illisq;, ferre ut civibus possent, tulit.

X.

T. CAJUS.

SCripta sua ut laudent alii, legum coryphæus
Ipse. haut arte ulli cedo vel ingenio.
Multa mihi debet, juris cui scribere, jussu
Induperatoris, prima elementa labor.

XI

ÆBURNUS VALENS.

QVi fidei heredum rectè committere possis,
E libris facta est res ea clara meis.
Qui me à consiliis sibi tunc delegerat, augmen.
Famæ Antonini contulit aula Pii.

XII.

XII.
L. VOLUSIUS MÆCIANUS.

ET me inter myſtas numerat Themis aurea pri-
Gaviſusq́; fuit Conſiliante Pius. (*mos:*
Nec Marcus minùs, à Sophiæ cui nomen amore:
Atq́; illi conſors qui fuit imperii:
Gratia quorum in me flagrans adeò: inter amicos
Ut dignarentur me numerare ſuos.

XIII.
ULPIUS MARCELLUS.

AStrææ ipſe etiam & legum penetralia pandi.
Perpetem ea ad famam res mihi pandit iter.
Aelii ad ætatem ſed me quicumq́; relegat,
Is minimè integri ſit tibi judicii.
Auguſtæ conſulta Pius mihi credidit aulæ:
Divorum & fratrum viſus uterq́; fuit.

XIV.
SEXT. CÆCIL. AFRICANUS.

DE te qui ſenſus mihi, visnè ut dicam? utinā ſic
Perſpicuus, bonus ac jureperitus eras!
Ni tàm obſcura forent, quæ tu reſponſa dediſti:
Plus poteras famæ conſuluiſſe tuæ.

XV.
TERENTIUS CLEMENS.

JUlia cui non lex, & Papia cognita? lucem
Hinc adferre aliquam cura ea noſtra fuit.

XVI.
CERVIDIUS SCÆVOLA.

NOn minùs illuſtris juris prudentia libris,
Curia conſiliis quàm tua, Marte, meis.
Eximia Auguſtum laus informaſſe Severum:
Doctorem agnoſcis, Papiniane, tuum.
Me brevitas & me rarum commendat acumen,
Immortale ſacrat hinc mihi fama decus.

XVII.
TARRUNTIUS PATERNUS.

CLarus honore togæ, dux idem ſtrenuus armis,
Duplice ſic geminam Pallada fronte beo.
Hinc data Prætorî mihi Præfectura. Perennis
Collegæ at malè me perdidit ambitio.

XIIX.
JUNIUS MAURITIANUS.

IUris & æquarum myſteria pandere legum
Cura mihi: hinc nomen dat mihi fama bonum.
Commodus ut rexit, vixi; nil tale merentem
Didius indignâ tollere morte jubet.

XIX.
Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANUS.

REligio huic ſtudiũ eſt: hic leges juraq́; tractat:
Rarus, cuî cura cura ea ſit gemina.
Relligio tibi culta, & culta ſunt mihi leges:
Bis meritum duplex me comitatur honos.

XX.

XX.

PAPIRIUS JUSTUS.

SAcra verenda Deæ cui rectè cognita Justæ:
Næ Justi hic nomen convenientèr habet.

XXI.

ÆMILIUS PAPINIANUS.

PErvolvas reliquos Romano in jure peritos,
Responsis par sit qui mihi, an ullus erit? *

*

Astrææ quos Roma tulit celeberrima mystas
Haut majorem ex his Papiniano habuit.
Præfecti indeptus summum is Prætorio honorem,
Consilii princeps, dive Severe, tui.
Verùm heu! consortem imperii (sic patre jubente)
Consortem renuens dùm Caracalla necat:
Hunc quoq; adhuc juvenẽ, fratris defendere cædem
Quòd nollet, terris mors violenta rapit.

*

Quòd renuis cædem fratris purgare nefandam,
Fratris cæde nocens vult fera ut Ausonia,
Colla sed intrepidus præbes ferienda securi,
Quod fecisse decet, Papiniane, facis.
Nolo consultum, redimit qui crimine vitam.
Hunc volo, qui mavult, quàm malus esse, mori.

XXII.

ARRIUS MENANDER.

XXIII.

FUSIUS ANTHINUS.

ANthinumq; ætas doctum, clarumq; Menandrum
Una tulit, Latiæ lumina bina togæ.

Obvia

Obvia juridicis quorum sat nomina libris
Vitam & res gestas tempora longa negant.

XXIV.
HERMOGENIANUS.

Est qui scire velit quàm legum ego nobile lumen:
Pandectas volvat, Justiniane, tuos.
Nomina ibi adduci haut rarò mea viderit. Aetas,
Cum patre regnavit quâ Caracalla, tulit.

XXV.
CL. VENULEJUS SATURNINUS.

Obscurâ ipse forem tectus caligine: vitam
Nî mihi librorum fragmina pauca darent.

XXVI.
CLAUDIUS TRYPHONINUS.

Illustres multi quo praeceptore fuerunt,
Profeci scriptis, Papiniane, tuis.
Juris & aequi omnis ratio mihi cognita: & indè
Nomen victurum in secula multa meum.

XXVII.
DOMITIUS ULPIANUS.

Quàm juris fuerim prudens, hinc collige: libris
Pars Digestorum non vacat ulla meis.

*

Sunt mihi juridicae penitrata sacraria divae:
Testis Alexandri Caesaris aula mihi.
Cui consultor ego, tutor, praetorio & ipsi
Deniq; praefectus non inhonorus eram.

Fra-

Fragmina librorum testes quoq;, publicus usus
Quæ probat, ac quivis juris amator amat.
Felix ò, CHRISTI si cognita sacra fuissent,
Scripti in eum libri nec mihi probra forent.
Dum CHRISTI insector sed enim malè-sanus
Heu ferro ipse lui, quod calamo merui! (ovile,

XXIIX.

JULIUS PAULLUS.

QVæ scripsi, haut arctet brevibus membrana tabellis:
Vix capiunt libros scrinia magna meos.

*

Publica consiliis firmare & commoda, doctis
Et pariter leges enucleare libris:
Quò minùs id facile est, majori hoc laude feren-
Majori hoc duplex dignus honore labor. (dum,
Qui, quæ scripta mihi, qui munia publica, regno
Quæ sub Alexandri gesta fuere, legit:
Vix alii alterutrum cùm præstent naviter, uni
Egregiè dicet præstitum utrumq; mihi.

XXIX.

SEXTUS POMPONIUS.

JUris origo tibi sic dicta ejusq; periti:
Ut summus dici juris mereare Sacerdos.
Addiscendum ætas tibi sera haut ulla, parato
Discere, pes quanquam tumulo jam insisteret alter.

XXX.

XXX.
FLORENTINUS.

Justinianeis sua erit dum gloria libris:
Florebit fama gloria viva mea.

XXXI.
ÆLIUS MARTIANUS.

Juris Alexandro insignis me notio junxit,
Judicii è scriptis vis animosa patet.

XXXII.
ÆMILIUS MACER.

Nec postremus ego mystarum: Cæsaris ævo
Curia Alexandri queis decorata meo.

XXXIII.
CALLISTRATUS.

Me quoq; Alexandri Themis aurea vexit in aulam.
Quod superest calami, posthuma secla probant.

XXXIV.
HERENNIUS MODESTINUS.

Diva Themis legum docuit vim noscere: Phœbus
Donavit venam in carmine mellifluam.
Consulto Vatiq; bono hinc mihi gloria duplex,
Donec erunt leges, carmina donec erunt.

XXXV.
LICINIUS RUFINUS.

Inter prudentes haut vitam inglorius egi:
Christum idem novi. Cætera facta latent.

XXXVI.
AURELIUS ARCADIUS CHARISIUS.

Magna, libellorum fieri meruisse magistrum;
Major sed CHRISTUM laus coluisse fuit.

XXXVII.

XXXVII.

JULIUS AQVILA.

XXXIIX.

RUTILIUS MAXIMUS.

PRaeclaros inter Romano in Jure magistros
Praeclarum tribuit cuiq; Themista locum.
Pauca sed è scriptis nostris monimenta supersunt.
O studium ingratum, Triboniane, tuum!

II.

In veteres Jureconsultos duodeqvadraginta *Disticha totidem*

CASPARUS CUNRADI Phil. & Medic. D. P. L. Caes.

Q. MUTIUS SCAEVOLA.

JUS Civile mihi scriptum priùs: optima fami
Oratoris epos Pontificisq; datum est:

AELIUS GALLUS.

HIc quoq; juris apex primaeva sub ordia Legum,
E Themico hunc moveat jure qvis ergò choro?

P. ALFENUS VARUS.

QVi sutor priùs, & Jurisconsultus habetur?
Digestis isthunc se probat ipse suis.

ANTISTIUS LABEO.

ETSophiae & juris decus hic, Patris auxit honores:
Ingenii fretus lumine multa novans.

LICINIUS PROCULUS.

Artes juris ego, non Martis volvere jura
Debueram: Marti sunt sua jura tamen.

PRISCUS NERATIUS.

Consiliis hic præcipuos fuit inter amicos:
Quos sacra Trajani Cæsaris aula notat.

P. JUVENTIUS CELSUS.

Consulis officium gessi; Digesta notavi:
Dùm furit in CHRISTI sævus Apella gregem.

PRISCUS JAVOLENUS.

Nomine sum Priscus calamo, quid invide rides?
Prisca noto fidá jura fidemq; fide.

SALVIUS JULIANUS.

Sunt digesta mihi multo digesta labore:
Evepia hinc famam prorogat alma meam.

T. CAJUS.

Humanos Cajus casûs intentus ad omnes,
Legibus occurrit omnibus hisce suis.

ÆBURNIUS VALENS.

Jus Antonini mihi conciliavit amorem:
Consiliatoris quippè decore beat.

L. VOLUSIUS MÆCIANUS.

Augustis placui titulo dignatus amici:
Ac quoq;, quod scripsi, nominis auget epos.

ULPIUS MARCELLUS.

Huic Digestorum collecta volumina multa,
Nomen apud memorem dulce tulêre Dicen.

SEXT.

SEXT. CÆCILIUS AFRICANUS.

NI responsa forent foliis tua adæqua Sibyllæ,
Major Africane ò! nomine jure fores.

TERENTIUS CLEMENS.

JUlia quòd clarat me lex, quòd Papia, abundè est,
Qvòd lucem bis genii contuli agone mei.

CERVIDIUS SCÆVOLA.

SUbveniunt meritò vigilantibus enthea jura.
Edictum hoc nostrum est, nũ mage fama capis?

TARRUNTIUS PATERNUS.

PAlladis hic Natus librisq́; armisq́; triumphans;
Hinc Præfecturam Prætor habere meret.

JUNIUS MAURICIANUS.

COmmodus ad vitam mihi commodat æqua de-
Didius at vitam dividit ense meam. (centi:

Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANUS.

HÆreticos Verbi mucrone fideliter ursi.
Quid censes reliquos ædificare libros?

PAPIRIUS JUSTUS.

QVi Justum inscripsi vivaci Jusq́; Papyro,
Justi æquè nomen, jurè PapirI habeo.

ÆMILIUS PAPINIANUS.

THesaurus legum fuit hic, & Juris asylum:
Jus contra gladio concidit ille tamen.

ARRIUS MENANDER.

ARrius ara Dices, est Arrius arrha Themistos.
Pro fido hoc genio perpes agalma meret.

FURIUS ANTHINUS.

VErnat in aqvidico Themidos mea fama theā-
Non frustra divam sudor & udor habet. (tro.

HERMOGENIANUS.

QVam Themidi dedi ego lucē, mihi reddidit illa:
Legifera hinc inter Numina lumen ago.

CL. VENULEJUS SATURNINUS.

Actio quid, stipulatio quid, Pro-Consulis & quod
Munus; id edocui: nomen abindè mihi.

CL. TRYPHONINUS.

PApinianeis scriptis mihi jura parata:
Præfectum Syriæ me quoq; fama docet.

DOMITIUS ULPIANUS.

ME Successorem jus sanctum Papiniani
Fecit, & heu fecit vis quoq; morte parem!

JULIUS PAULLUS.

JUre pares habeam! scriptis habuisse negaro:
Sic fuit in calamo dis Themis alma meo.

SEXTUS POMPONIUS.

JUra, Magistratus Romanos, Jureperitos
Ordine conscribens, discere gestio adhuc.

FLO.

FLORENTINUS.

INstituit ut decear mentes in jure tenellas,
Edocui, hinc ævùm florida fama mihi est.

ÆLIUS MARTIANUS.

JUnxit Alexandro me insignis notio juris:
Junxit juridicis notio & illa viris.

ÆMILIUS MACER.

HÆc mea lex: Tibi quod non vis, ne feceris ulli.
Cetera Alexandro sunt quoq; grata meo.

CALLISTRATUS.

DUm leges fuerint, mi erit & memorabile no-
Par & Alexandri est in mea jura favor. (men:

HERENN. MODESTINUS.

EXcussi gemini latè omnia scrinia Juris;
Æqua mibi Themis ut, sic fuit æqvus honor.

LICINIUS RUFINUS.

NOscere res magna est leges: at noscere Christum
Major: utrumq; (DEO laus sict) obtineo.

AUREL. ARCAD. CHARISIUS.

JUra datum est coluisse mibi, coluisseq; Christum:
Illud laude solo me beat; hocce polo.

JULIUS AQVILA.

ME sacra jura levant, Aquilam ceu nobilis ala:
Nimirùm Themicos laus beat æqva Viros.

RUTILIUS MAXIMUS.

FAmam haut semper habet, quam quis cum laude meretur:
Eveniunt scriptis hæc quoq; fata meis.

Catalogus

Jureconsultorum veterum

auctore

JOANNE LORICHIO HADAMARIO.

Papyrius Major.

INter justitiæ Consultos, Magne Papyri,
Principe te statuit Martia Roma loco.
Ut te Pontificem dicam, dubitare vetustas
Cogit: at hoc liqvido scripta probata docent.
Libertatis amor reges excgerat urbe;
Nec qvi perficeret publica sacra, fuit.
Dispiciendus erat tàm celso dignus honore,
Qui purâ coleret relligione deos:
Bellica non essent onera huic, non civica curæ,
Sed posset solis deditus esse sacris:
Regem sacrificum votis communibus ergò
Selectum, sancti te statuêre Patres.
Tu regum nullo diffusas ordine leges,
Tempore non uno, nec data jura modo:

Fixa

Fixa foro & tabulis quædam pendentia quernis,
Colligis in libros ordine quæq; suo:
Quæ penè occiderant & quæ desveta latebant,
Ad priscum per te sunt revocata decus.
Hinc tibi se leges debent, servataq; scita:
Quòd vivunt nôrunt muneris esse tui.
Et nunc cana fides, jus priscum, regia jussa,
Non se consociant regibus, imò tibi.
Et te posteritas agnoscit grata parentem
Juris, & auspicio gaudet amœna tuo.

Appius Claudius decemvir.

APpius ad mœstos faceret dum verba Quirites,
In patrios manes officiosus erat.
Plebs detrectabat legesq; jugumq; Senatus,
Tùm leges sanas civibus ille tulit.
Sed nimiùm cœpit rebus turgere secundis,
Inq; alios quàm se maluit esse potens.
Elatus sprevit penitùs quod calluit æquum,
Indè tulit factis præmia digna suis.

Appius Claudius Cæcus.

APpiades mediam latices deduxit in urbem,
Sic animos populi conciliare studens.
Ut sibi perpetuæ pareret præconia famæ,
Sumptibus immensis muniit ille viam.
Censura fungens legit de plebe senatum,
Qui solus fuerat nobilitatis honos.

Mox adiit fasces, observantissimus æqui:
Præturam nactus gessit honore pari.
Artibus omnigenis junxit civilia jura,
Dotibus egregiis conspiciendus homo.
Ille gravi movit Patres sermone labantes,
Consilio flexit pectora prona suo.
Decrepitum mirans & clari luminis orbum
Obstupuit Cyneas, irrita pacta dolens.
Hic sapientèr ait, tractare negocia possunt,
Romulidæ, nequeunt ocia tuta pati.

P. Sempronius Sophus.

SEmpronius cautè & nil non sapientèr agebat.
Hunc, quod erat, dixit Roma diserta Sophos.
Auspiciis faustis Samnites fudit, & æquos
Contudit, egregiè Martis obivit opus:
Ingenio pollens, tractandis strenuus armis,
Consiliumq; domi, præsidiumq; foris.
Hinc illi eximios largita est patria fasces,
Inq; sui voluit consulis esse sinu.
Unus erat, cui se ostendit natura benignam,
Sortis in hunc paritèr prodiga Diva fuit.
Nobilitate potens, opibus præcelluit amplis,
Eximiæ vires, forma decora fuit,
Contigerat similis nulli facundia civi,
Seu populum vellet flectere, sivè Patres:
Juraq; Pontificum non æquè calluit alter,
Hinc illi excrevit non periturus honor.

T. Co-

T. Coruncanus.

Condita servabant alii mysteria legum,
Tam bona non lateant, non decet illa tegi.
Edocui multos, sum primè jura professus,
Quæ nota & volui pluribus esse palàm.
Eloqvium mediocre fuit, sapientia major,
Verbaq; erant seclis asperiora meis.
Linguaq; tùm nulli placuit sine mente diserta
Facundus, saperet qui nisi, nemo fuit.
Nunquam destitui plebis, vel commoda Patrum,
Quilibet & nostram sensit amicus opem.
Dumq; meam peterent cives operamq; fidemq;,
Transverso insignis mos fuit ire foro.
Una mei accepit studii respublica fructus,
Ut patria aucta foret, sat mihi dives eram.

Quintus Fabius Pamphilus.

Editus è Fabium, si qua est ea gloria, gente,
Eloqvii & juris clarus honore fui.
Namq; ego Sidonias orator missus ad arces,
Barchini accessi castra timenda ducis.
Deposco Hannibalem in pœnas pro fœdere rupto,
Numina perjuris parcere posse qveror.
Quaq; daturus eram, cùm nollent munera pacis,
Effudi toto bella cruenta sinu.
Quas gremio inclusas acies, quæq; arma gerebam,
Sint lævo Tyriis omine missa precor.

P 4 P. Æ.

P. Ælius Pætus.

PLebejum sacri me culta scientia Juris,
Ex humili natum vexit ad alta loco.
Muneris injunxit quicquid Respublica, gessi,
Ædilis, Prætor, Consul & Augur eram.
Hannibalem dirum cùm fortis Scipio fregit,
Tempora Præturæ læta fuère meæ.
Censuram plures candenti veste petebant,
Faverunt populi publica vota mihi.

Sextus Ælius Pætus.

ÆLius hinc fratri justo subit ordine Sextus,
Non aliquo, si non vicit, honore minor.
Cujus consilium Respublica tota petebat,
Obsedit tritas anxia turba fores.
Incertumq; sui circumstetit atria vulgus,
In solio sedit ceu DEUS *ille suo.*
Transverso vel lenta foro vestigia fixit,
Stipabat gressum magna caterva viri.
Tanta fuit legum, tamq; alta scientia recti,
Tamq; ad dicendum copia dives erat.
Principia hic legum & veluti cunabula scripsit,
Hic binas tabulas explicuitq; decem.
Quæ non invidiâ fatorum erepta putabo,
Astrea in superos sed tulit ista locos.
Quantula de nostris huic crescet gloria scriptis,
Ennius extulerit quem Pater ore gravi?

Æli-

Ælius Pætus filius.

Filius ex illâ prognatus origine Pætus,
Noluit à patribus degenerare suis.
Cujus clara satis meruissent facta triumphum,
Sed Romæ intravit mœnia victor ovans.

Attilius Sapiens.

Egregiis fœcunda viris, laudataq; multum
Hoc etiam potuit lumen habere, domus.
Te tua Romano sapientem nomine dixit
Patria: judicii non leve pondus habes.
Hæc è juridicis nata est prudentia scriptis:
Ista, aliqvo in precio qui cupis esse, teras.

P. Cornelius Scipio Nasica.

Qvamvis Roma neges justos ingrata triumphos,
Sic licet è campo sæpè repulsus eam:
Fama tamen celebrata satis me tollet ad astra.
Sat magna est illo gloria parta dic.
Judicii vestri cum sum delectus honore,
Idea visus sacra referre domum,
Tùm cum magna Deûm genitrix turrita Cybele,
E Phrygiis esset per mare vecta jugis.
Hospitio tectis excepi numina sanctis,
Et populo & Divæ est vita probata mea.
Ergò Nasicæ viridis florebit imago,
Urbs hæc devicti dum caput orbis erit.

Idem.

NAsicâ melior, jurisq; scientior alter,
Nec quisquam belli major honore fuit.
Huic ex communi, ut posset consultor adire,
Urbs dedit ad sacram commoda recta viam.

Q. Fabius Labeo.

JUs didicit, priscas tenuit cultissimus artes,
Nomina promeruit tempore summa suo.
Antiochum secta privavit classe: sed astus
Ille nec Ausonio nomine dignus erat.
Decepisse ferunt & tali fraude Nolanos:
Facta hac scire quidem, non decet ista sequi.

Q. Fabius Pictor.

MAxima quis dubitet semper gessisse Quirites,
Prodita, sed nullis sunt ea facta libris.
Primus ego in tali conor decurrere campo,
Materies potior credita nulla mihi est.
Res ego Roma tuas ausus sum pingere primùm,
Splendidius facere hoc posteritatis erit.

M. Portius, M. F. Cato.

IMperium ornavi bellis, & pace senatum,
Prosperitate gerens munus utrumq; pari.
Romanum factis juvi, extera regna replevi:
Omnia, quod de me secla loquantur, habent.

Idem.

Idem.

GRæcia laudandum sumpsit facunda Catonem,
Quò non pervadit gloria Romulidum.
Quæ scribant aliæ gentes, Romanus agendo
Suppeditat, celebris vivit ubiq; Cato.

Idem.

IGnorâsse putat qui civica jura Catonem,
Nulla fuisse idem jura, nec esse putet.
Ille suo ornavit leges, ut pondus haberent,
Elogio, ostendens commoda qvanta ferant.
Namq; ait, ut constant mortalia corpora nervis,
Mœnia sic leges constabilire solent.

M. Manilius Torquatus.

CÆdibus & pugnis cur te Bellona cruentis
Involvit, paci qui magis aptus eras?
Fœdifragas invasti acie Carthaginis arces,
Æqvavit Consul Scipio deinde solo.
At satius fuerat civiles condere leges,
Et caussas agere & dicere jura foro,
Id quod fecisti post, ocia idonea nactus:
Undè fuit laribus maxima fama tuis.
Tu sacra Pontificum complexus pectore docto,
Sederunt animo dogmata cuncta tuo.
In causâ gnati patrium Torquate secutus
Exemplum, tetricâ relligione facis.

M. Bru-

M. Brutus.

MUltiplicis mihi culta fuit sollertia juris,
Civibus indè meis suspiciendus eram.
Et tibi posteritas quædam monimenta reliqui,
Scriptaq; judicio discutienda tuo.
Cumq; meâ dici possem virtute beatus,
Degeneris nati vita pudenda fuit.

M. Brutus, ejus pater, qui Julium Cæsarem occidit.

DUm stetit & sanctâ viguit Respublica pace,
Excolui studio civica jura gravi.
Urbs Mutinæ Latio cum sangvine tota ruberet,
Viribus & caderet Martia Roma suis.
Pugnaci leges pressæ jacuêre sub ense,
Et jura armorum conticuêre sono.
Funere cum patriæ fatum mea funera junxit:
Dulce fuit, patriâ sic moriente, mori.
Ast hanc qui assereret per vulnera multa Tyranni,
Ille est Roma tibi me genitore datus.

Pub. Mutius Scævola.

CLaruit egregiis rebus gens nostra, virisq;:
Primus ego at juris clarus honore fui.
Sacrarum placuit veneranda scientia legum:
Sic est diversis fama petenda viis.
Fautor eram Gracchi, Gracchum Nasica peremit,
Defensus nostra est protinus arte reus.

Ju-

Justior ergò magis volui, quàm fortior esse:
Laudavit factum concio tota meum.
Sum quoq; muneribus functus, si quæris honores,
Consulis officio, Pontificisq; gradu.

Idem.

MAgna in dicendo prudentia, majus acumen,
Ubertas puri & copia digna styli.
De jure ac æquo scripti bis qvinq; libelli,
Scævola te faciunt laudis habere satis.

Idem.

LÆdere ne sacros auderet turba poëtas
Scenica, te justo judice caussa stetit.
Hinc sacri debent te commendare poëtæ;
Quorum defensor tu quoq; summus eras.

De eodem.

Ultra fatigatam ne supprimat improba mentem,
Qui juri cupias deditus esse, cave.
Sæpè ministerio & fessus clamore forensi,
Laxavit variis tædia longa modis.
Indè pila & scrupuli bis seni atq; alea lusa est,
Sed vetita haut ullis legibus illa fuit.
Post divum ritus patrum de more peractos,
Postq; clientelas, post data jura foro:
Lætus homo salibus si quando jocisq; vacaret,
In gravibus rebus Scævola totus erat.

P. Li-

P. Licinius Craſſus Mutianus.

INgenium Craſſo fuit, atq; induſtria ſumma,
Facundum ornavit gratia magna virum.
Reſpondit multum, de jure rogatus, & æquo,
Et ſæpè ad populum verba diſerta dedit.
Pontificis gesſit titulos & Conſulis, uno
Tempore, Ariſtonici milite regna petens.
Hunc memorant linguæ diſcrimina quinq; Pelaſga,
In bello & ſpacio perdidiciſſe brevi.
Cuilibet ad ſanctum proprio ſermone tribunal
Jus dedit: in memori vis ea mente fuit.
Quinq; bonis Craſſum fecit natura beatum:
Tàm largè ditat, ſi quibus illa favet.
Romulidas vixit cives ditisſimus inter,
Eloquio & cunctis nobilitate prior.
Legibus & nulli dicendo in jure ſecundus,
Tùm patria coluit ſacra deosq; ſua.

C. Livius Druſus.

ERipuit juſtas effeto in corpore vires,
Et nivibus ſparſit tarda ſenecta caput.
Oraq; ſulcavit rugis, fregitq; lacertos:
Namq; ſolent annos talia damna ſequi.
Jacturam nobis aliam Dea lubrica junxit:
Namq; aciem chari luminis illa tulit.
Sic natura ſenem fecit, ſors improba cæcum,
Dona ſed ingenii non potuère rapi.
Neutraq; conſtantem valuit pervincere mentem:
Has vidi, has vigui, perdomuiq; duas.

Con-

Consilii nam vulgus inops mea tecta replevit,
Limina vix turbæ magna fuere satis.
Cùm neq; jus, æquum, neq; possent vera videre,
Me cæcum in dubio constituere ducem.

C. Martius Figulus.

NOn vacat, aut gratum est, placidam ne rumpe quietem;
I procul à laribus turba molesta meis.
Consilium petere & dubiis exposcere rebus
Hanc operam, facile est: vulgus id omne facit.
Consulis officium & dare munera digna petenti,
Ah nescis: vestrûm talia nemo potest.
Transilio fortasse modum, cogente furore:
Ira tamen factis convenit illa tuis.

P. Rutilius Rufus.

PErdidicit priscas leges, sancitaq; Patrum,
Sed vitæ innocuæ maxima cura fuit.
Talibus instituit præceptis Scævola Rufum,
Verba ut culta satis, factaq; sancta forent.
Reppulerat quendam graviter non æqua petentem,
Atq; ille iratus, Quò mihi talis amor?
Excipit hunc Rufus: Cùm sic inhonesta preceris,
Dignus amicitiâ quî potes esse meâ?
Qui rogat illicitum, ne me sibi speret amicum,
Quod fas est poscas, præsidiumq; feram.
Non tamen invidiam toto sanctissimus ævo,
Nec potuit sortis tela cavere trucis.

Ex id

Exilio in Smyrnam cessit damnatus iniquè,
Fortiter hos casus, fataq; sæva tulit.
Hoc unum doluit, jura interiisse paterna,
Et Syllæ imperio noluit esse redux.

L. Ælius Tubero.

JUstitiam Tubero factis expressit honestis,
Horridus huic sermo, vita severa fuit.
Induerat Stoæ mores & dura Panæti
Dogmata: vir fortis, civis honestus erat.
Publica præbuerat Fabius convivia Romæ,
Hædinis stravit pellibus ille thoros.
Fictilibus mensas vasis oneravit acernas,
Argento è Samio pocula sculpta locans.
Hoc deforme nimis rata plebs, exarsit in iras:
Commoti populi pertulit indè minas.

Paulus Virginius.

VIrginii involvit tenebris oblivio famam;
Qui tamen illustri nomine dignus erat.

Sext. Pompejus.

INgenio exhausit præstanti civica jura,
Decreta amplexus Stoica præcipuè:
Cognovit penitùs dissectum in climata mundum,
Metiri radio cautus & arte solum.

L. Cæ-

L. Cælius Antipater.

Res scripsit gestas, ruditer, nulloq; nitore,
Sed potuit seclo splendidus esse suo:
Scribere simpliciter, non exornare solebant,
Nec cultum dictis addere moris erat.
Erectus supra veteres, infraq; minores
Substitit: hi doctos perpoliere libros.

Q. Mutius Scævola Augur.

Mutius hic studii successor & heres aviti,
In legum clarus cognitione fuit.
Illiusq; domum celebravit turba clientum,
Consultor petiit limina trita frequens:
Nemo adeat Delphos, oracula proferet augur,
Vera magis Pythii sortibus ille canit.
Mirator magni prudens, cultorq; Panæti,
Imbiberat quicquid Stoica secta docet:
Constanti fregit truculentum pectore Syllam,
Pro vero haut timidus vimq; necemq; pati.
Invalido extremus cum corpore spiritus esset,
Quâ potuit patriam tùm quoq; juvit ope.

Q. Mutius Scævola Pont. Maximus.

Justitiæ antistes sacræ, fons Scævola legum,
Unica spes miseris, præsidiumq; reis,
Quid referam ingenium prudens, sermonis acumen,
Et quid limati splendida verba styli?

Andreæ mystas tu facundissimus inter,
Inter facundos juris honore prior.
Omnibus exemplo statuit tua facta Senatus,
Tu specimen, cuncti quod sequerentur, eras.
Ah in te fatis licuit crudelibus esse.
Siccine vim potuit justitia ipsa pati?
Ante aras ipsas, Vesta & simulachra perennis
Concidis, extingvens sangvine penè focos.
Tybri pater cursum cohibe, tua flumina siste,
Et sacrum blandis excipe corpus aqvis.
Si qua fuit virtus, tàm tristi funere luxit,
Supplicium Romæ par sibi quæq; timens.

C. Aquilius Gallus.

NE mihi lictores obtrudite, tollite fasces,
Non honor is cordi est, non ea fama juvat.
Nam fora me regem norunt, & rostra monarcham,
Livor abi, regnum judiciale meum est.
Sic satis in caussis dominari, & rebus agendis,
Excellant alii quo potuere modo.
Decretis cuncta est explosa calumnia nostris:
Jus non est, æqui si ratione vacat.
Submovi fraudes, suspensâ lite dolosus,
Ne sycophanta aliud, quàm simulavit, agat.
Nescio qvid visa est lex priscarigoris habere,
Judicio facta est mollior ista meo:
Posthumus ante nepos vetitus succedere, ni jam
Editus, atq; suo proximus esset avo.
Jam quoq; non nati me jus dicente nepotes,
Institui possunt, certaq; forma data est.

L. Lu-

L. Lucilius Balbus.

REspondi temerè nunquam, cunctantius egi,
Consilii est multis copia facta mei.
Exhausi latices Grajos, tetricamq; Sophiam,
Auctior his fluxit lingua latina modis.

Gn. Aufidius C.

ABstulerat nobis usum fortuna videndi,
Manserunt animi lumina clara tamen.
Pluraq; quàm reliqui cives, ego pectore vidi,
Consilium toties qui petiere meum.

C. Juventius.

QVi mihi conflixit certamine cunq; forensi,
Incidit in laqueos protinus ille meos.

R. Servius Sulpitius.

ESt aliquid laudum consistere parte secundâ,
Sed majus primum posse tenere locum.
Alter ab eximio Cicerone patronus haberi
Sulpitius poterat, maluit esse prior.
Pro ximus eloquio fuit huic, in jure supremus,
Nec viderant ullum secla priora parem,
Legibus omnigenas junxit civilibus artes,
Explicuit cultis horridiora modis.
In sua distribuit confusum membra, latensq;
Eruit, à veris noscere falsa docens.
Quid memorem vigiles curas, jugesq; labores?
Quid cum justitiâ & cum gravitate fidem?

Hic tibi venturos prædixit Roma tumultûs:
Heu diræ cladis præscius ille fuit.
Funera jam patriæ videor lacrymosa videre:
Eheu vulneribus corruet illa suis.
Prospicite, ô patres, tantoq; obstate furori,
Exitium Romæ numina læsa parant.
Nil profecturo monuit sermone Quirites:
Nam ratio fatum vincere nulla potest.
Mox Latium bello furit, & socialibus armis,
Commovet in socerum bella nefanda gener.
Servius hic frustra rebus succurrere lapsis
Et frustrà pacem conciliare cupit.
Quid turbas inter tantas, discrimine tanto,
Solari potuit te, venerande senex?
Sola dedere tibi blandæ lenimina musæ:
Hæ requies curis, hæq; levamen erant.

C. Trebatius Testa.

ROmanos eqvites inter memorande Trebati,
Deficit in laudes nostra Thalia tuas.
Te satis extollit Venusini gloria plectri,
Te tuus Arpinas tollit in astra satis.
Concordes animæ, vivunt commercia vestra,
Festivis spirant seria mixta jocis.
Tantus amor vobis, studii & concordia vestri,
Officii & cunctis mutua rebus erant.
Orator validis à te data tela lacertis
Torsit, & eloquium contulit ille tibi.
Codice suppleri posset ne extrema voluntas,
Solenni careat sic licet ille modo,

Quæ-

Quæsitum est, cœpit te sic svadente valere,
Et retinent placitum tempora nostra tuum.

A. Offilius.

IN *libros conscripta dedit fundamina juris,*
Augusti haud minimus tempore vixit eques.
Esset splendidior longè, nocuére maligna
Tempora, tùm dominis subdita Roma fuit.

Aulus Cascelius.

URbanus, *lepidus, Fabioq́; probante venustæ,*
Dicendo reliquis promptior Aulus erat.
Indocilis perferre jugum, tolerare tyrannos
Nescius, & vitæ liberioris amans.
Quem tenuisse canit legum fastigia Flaccus,
Annè hoc teste satis laudis habere putas?

Q. Ælius Tubero.

A*Criter extulerat Tubero delicta Ligari,*
Mota reum contra Cæsaris ira fuit.
Restinxit Cicero doctis incendia verbis,
Quinte salutaris vox fuit illa tibi.
Hinc Tubero evolvit privata & publica jura,
Caussidicus spreto desiit esse foro.

P. Alphenus Varus.

N*E spem projiciat legum studiosa juventus,*
Admonet Alpheni sedula cura Vari:
Sutor enim fertur patriam clausisse tabernam,
Jura licet serò perdidicisse tamen.

Hinc Romæ Consul summos est nactus honores,
Et studio invenit remq; decusq; suo.

Cajus.

NOta vides multis Caji prænomina scriptis,
Plura tamen sciri tempora longa vetant.

Titius Cæsius.

ET Titii nobis cognomina sola supersunt,
Proh dolor extinxit cætera tempus edax.

Aufidius Tucca & Namusa.

AUfidios etiam fugitiva oblivio binos
Involvit, tenebris omnia facta tegens.

Cinna.

ESset & obscurâ caligine Cinna sepultus,
Huic vitam legum ni monumenta darent.

P. Cæcilius.

OBruit illustres etiam damnosa vetustas,
Hinc neq; Cæcilii splendida vita patet.
Conservant solum conscripta volumina juris
Nomen, & hæc illi fama perire nequit.

Sulpitius Galba.

SUlpitius veteri natus de stemmate Galba,
Dicendo haut minimus, sed neq; summus erat.
Caussarum solers fuit atq; industrius actor,
Viribus ingenii & nobilitate potens.

Ille perexiguo, & gibboso corpore multis
Ludibrii, & risus caussa parata fuit:
Corporeas animus dotes superavit honestus,
Et fuit hospitio cultior ipse suo.

Antistius Labeo Pater & filius.

INsignem fecit sapientia magna parentem,
Occubuit propriâ fortiter ille manu,
Filius in studiis patrium superavit honorem:
Nam celebris Sophiæ cognitione fuit.
Sedulus extendit Latiæ pomœria linguæ,
Alta gravi studio & dogmata prisca terens.
Sic laqueos miro dissolvit acumine juris,
Magnâ nodosas diffuit arte tricas.
Incorruptus erat, tùm libertatis amator.
Constanti obtinuit scita vetusta modo.

C. Attejus Capito.

TEmpus idem vitæ, ratio diversa simultas
Huic orta in studiis cum Labeone fuit.
Obseqviis voluit sibi devincire potentes,
Assentatoris dedecus ergò tulit.
Verùm consiliis Romanæ profuit Urbi,
Una fuit labes inficianda viro.

M. Coccejus Nerva Pater & Filius.

OMnia cognovit divina, humanaq; jura,
Et prisca egregius vir pietate fuit.
Principis assiduo convictu clarus, & usu.
Quem lateri voluit Cæsar adesse suo.

Præsagus cædes patriæ, & crudelia fata
Sensit, & indignè damna futura tulit.
Exosus vitam, ne crimina tanta videret,
Fatalem statuit præcipitare diem.
Corpore adhuc sano, atq; illæsis viribus, ævo
Integer, ut Lachesis stamina plura daret.
Pallida continuo jejunia tempore passus,
Abrupit forti pendula fila manu.
Non minùs illustris successit filius illi:
Namq; boni possunt progenerare bonos.

Masurius Sabinus.

UT populo responsa darem de jure petenti,
Cæsaris indulsit gratia larga mihi.
Sponte suâ veteres, si quos fiducia movit
Ingenii, cunctis publica jura dabant.
Mox à principibus fuit ista petenda facultas,
Munera qui doctis digna dedere viris.

C. Longinus.

PRæfulgens inter radiantia lumina juris
Cassius, antiqvos est imitatus avos.
Legiferis cives studiis excelluit omnes,
Illius à claro nomine dicta Schola est:
Agnovitq; suum succedens secta parentem,
Defenditq; acri tradita scita fide,
Censuit, & multum svasit florente Senatu:
Unus enim summæ cognitionis erat.
Ira deûm immisit terris certissima pestem,
Imperii invasit culmina Cajus atrox.

Ille

Ille tibi Cassi crudelia fata minatus
Interiit, divûm tuq; favore manes.
Hinc diri invidiâ & sceleratâ mente Neronis,
Sardinios exul pulsus es usq; locos.
Tàm magnæ incubuit tempestas horrida Romæ,
Obruit egregios ista procella viros.
Crimine damnatus nullo, quàm quod vir honestus
Antiquas omni jure tenebat opes:
Quod cunctos arte, & morum gravitate præibat,
Afflixit justum bellua fœda senem.
At longam innocuo tribuerunt numina vitam,
Occiderat Cajus, Claudius atq; Nero.
Accepit rerum mox Vespasianus habenas,
Longinum patrio reddidit ille solo.
Sic Romæ à justo revocatus principe vixit,
Et clausit longos non sine honore dies.

Aminius Rebius.

TE quoq; juridicos proceres numerabimus inter,
Mors tua laudata est, vita probata parum.

Proculus.

EXcepit Proculus celebrati dogmata Nervæ,
Frigida, & ad bellum non erat apta manus.
Paci & consiliis habitus non futilis autor,
Militiæ urbanæ clarus honore fuit.
Responsa illius multi tenuere sequaces,
Estq; sui nomen turba professa ducis.

Cælius Sabinus.

MAgnus honor nobis datus est, & in urbe pote- (stas
Tempore quo Cæsar Vespasianus erat.

Pedius.

ANtiquum Pedii nomen monimenta frequen- (tant,
Conscripta imperio, Justiniane, tuo.

Pegasus.

PEgasus afflicto præfectus tempore Romæ,
Cùm premeret Calvus jura, fidemq; Nero,
Interpres legum, cultor sanctissimus æqui,
Publica quâ potuit commoda juvit ope.

Priscus Jabolenus & Plautius.

HUnc etiã in censum statui te Prisce locandum,
Officia in patriam sic meruere tuam.
Plautius in numero hoc mihi non indictus abibit,
Jure dato celebris, consiliisq; fuit.

Juventius Celsus, Pater & filius.

OPtimus egregio Celsum Trajanus honore
Affecit: legum tam fuit ille sciens.
Ælius hunc ipsum Princeps dignatus amicos
Et consultores inter habere suos.
Filius in patrias fuit huic non degener artes,
Cæsaribus cura, non minùs ille fuit.
Legibus excellens immensa volumina scripsit,
Sic patris & nati nomina clara vigent.

Ne-

Neratius Priscus.

NIl sine consilio sancti fecisse Nerati
Trajanus fertur, sceptra suprema gerens.
Tanta virum probitas, tanta experientia rerum
Extulit, & legum tàm gravis autor erat.
Hunc sibi, non alium voluit succedere princeps,
Committenda ratus munera tanta Viro.
Dixerat huic: si quod patiar mortale Nerati,
Te statuo patriæ post mea fata Patrem.
Inq́; tuos humeros res inclinata recumbet
Publica, tu rerum culmine dignus eris.
Jura satis norat moderator maximus Orbis,
Credidit hos igitur regna decere viros.
Exultet felix & juri dedita pubes
Auspicio, & tali freta favore ducum.

Domitius Labeo.

PErlegis integri quicunq́; volumina juris,
Non rarò adduci nomina nostra vides.
Ne credas alium, quorundam improvidus error
Hoc mihi præripuit non sine fraude decus.

T. Aristo.

DOmitianus iners urbis cum regna teneret,
Jus jacuit spretum, squaluit ipsa fides.
Neglectas cunctis leges ornavit Aristo,
Excoluit studio dogmata spreta suo.
Et penes hunc solum veteris prudentia juris
Mansit, in illius delituitq́; sinu.

Non

Non piguit tractare virum legesq; fovere,
Quamvis cultori commoda nulla darent.

Alburnius Valens, Vindius Verus, Ulpius Marcellus & alii.

PAcatum regeret dum dux felicior orbem,
Et laudem & nomen qui pietatis habet,
Justitiâ in terras almâ cum pace reversa est,
Egregiis ætas floruit ista viris.
Optimus incubuit condendis legibus heros,
Doctorum adjutus dexteritate virûm.
Hinc opera, & monitis perfecit multa Valentis
Auxilium scriptis contulit iste libris.
Vindius hos inter digno cognomine Verus,
Marcellus claris Ulpius ortus avis.
Conatum summi juverunt Cæsaris omnes,
Consilio, studiis, sedulitate, fide.

Arrianus & Tertullianus.

VOs quoq; præstantes laudata scientia legum
Reddidit & summum fecit habere decus.
Ut peragam brevius, cogor: nam nomina vestra
Includi numeris non potuere meis.

Salvius Julianus.

ANtiqui celebris doctrinâ juris & usu
Salvius, & claræ nobilitate domus.
Cæsaribus junctus, solio & propiore locatus,
Adfuit edictis, consiliisq; ducum.

Bis.

Bis consul rectè civilia munera gessit
Præsidio illius curia & aula stetit.
Huic labor assiduus, cura irrequieta sciendi,
Discendiq; fuit non satianda sitis.
O vocem sêclis omniq; ætate colendam,
Quæ testis nimiæ sedulitatis erit.
Si pede jam primo tetigissem triste sepulchrum,
Sacophago instarent frigida membra meo:
Pectore non fugeret de nostro maximus ardor,
Quin cuperem studiis addere plura meis.

L. Volusius Metianus.

COmmissa est orbis Marco tutela regendi,
Qui meritum à Sophiæ nomen amore tulit.
Jure bono regnum, tantasq; accepit habenas,
Nam priùs imperio paruit ille meo.
Imbutus nostris monitis, mihi præbuit aures,
Imbibit auspicio dogmata sana meo.
Edocui juvenem præcepta insignia morum,
Quæ sanxit Zeno, Cecropiusq; Plato.
Effeci dignum vasti moderamine mundi:
Principis est munus, jura tenere, boni.

Serbidius Scævola.

SI laus est, multis jus tradere, honesta docere,
Quid non Serbidium laudis habere decet?
Illius ex ludo, atq; illo doctore, periti
Legum turmatim prosiliére viri.
Ille etiam Tyrium sub primâ ætate Severum
Instruxit, qui post splendida sceptra tulit.

Indu-

Induperatorem formavit Scævola tantum,
Ut benè cuncta domi, perficeretq; foris.

Æmil. Papinianus.

ÆMilius studiis, junctusq; ætate Severo,
Qui mox Ausoniâ est sede potitus Afer,
Conservanda suo prætoria Cæsar amico
Tradidit, & summum jussit habere locum.
Te volo tutorem natis à morte relictis,
Dux ait, & sobolis sit tibi cura meæ.
Sed vesana duos rapuit discordia fratres,
Sustulit è medio mox Caracalla Getam.
Inde necem voluit defendi jure nefandam,
Quod potes huc, inqvit, Papiniane refer.
Rettulit huic sapiens: Fraternâ cæde madentes
Perfacile est cuivis contemerare manus:
Excusare necem, facinus capitale tueri,
Diluere hæc verbis crimina nemo potest.
Ergò cito morere, & Stygias rege legibus umbras,
Impius horrendâ voce tyrannus ait.
Crudeli cecidit sic vir sanctissimus ense
Militis: hæc Virtus præmia summa tulit.
Splendidus eximiis gestis, & juris asylum,
Thesaurus legum justitiæq; fuit.
Ut Trojanus equus fertur fudisse catervas
Heroum & Phrygiis exposuisse locis:
Sic juris proceres, & legibus inclyta turba
Exiit è ludo, Papiniane, tuo.

Fa-

Fabius Sabinus.

INter Alexandri summos numeratus amicos,
Sumq; mei dictus temporis esse Cato.

Domitius Ulpianus.

DOmitium extollit laudatum fama perennis,
Consultos legum maximus inter erat.
Polluit ut regni Varius fastigia fœdus,
Tum latuit multis obrutus ille malis.
Vix evitavit sæva discrimina mortis:
Tempora tàm justis dura fuere viris.
Attamen hæc foris immundis bellua postquam,
Condita & in Tyberi flumine mersa fuit,
Sedis ad Augustæ melior penetralia princeps
Venit, Alexandri nomen & acta seqvens.
Tum verò enituit virtus & gloria præstans
Domitii, & summum cœpit habere decus.
Nil sine consultis legum Rex optimus egit,
In quibus is princeps & coryphæus erat.
Hunc socium Cæsar, fidumq; vocavit amicum,
Hunc sibi tutorem constituitq; patrem.
Accepit sæpè & sine teste palatia, soli
Huïc aures faciles Dux, aditumq; dedit.
Non epulas Princeps, convivia nulla peregit,
Hic nisi lætitiæ parsq; comesq; foret.
Nudato miles nomothetam invaserat ense,
Barbaricam Cæsar reppulit ipse manum.
Oppositoq; suo defendit corpus amici,
Cæsarea chlamydi parcite turba ferox.

Sa-

Sanctarum legum vertex amplissimus ille,
Doctrinæq; fuit judicialis apex.

Julius Paulus.

INterpres legum Paulus, jurisq; professor,
Papinianéo dogmate clarus erat.
Hujus commisit Cæsar prætoria curæ
Officia, atq; omnes gesserat ante gradus.
Hic cum Domitio parili gravitate, fideq;
Floruit, excelso constitit atq; loco.
Munere cùm summo similes, sed summus uterq;,
Cumq; excellenti sint in honore pares:
Librorum numero, sed plurima scripsit & ille,
Domitium Juli vincere docte potes.
Heu quantum scelus est, periisse volumina tanta:
Namq; extant hodiè pauca, probata tamen.

Pomponius.

TEmpore Pomponius vixit celebratus eodem,
Laude pari, & juris cognitione pari.
Intentus libris exegit lustra bis octo,
Hinc vox cum scriptis pluribus illa manet:
Discendi studium ratio est longè optima vitæ,
Quæq; vacant illo, tempora nulla placent.
Conscripsit legum penè ad sua sécla peritos,
Restituit vitæ nomina tecta priùs:
Ne planè occiderent, superas revocavit ad auras,
Evicit chartis funera mœsta suis.

Heren-

Herennius Modestinus.

CUm multis illud decoravit Herennius ævum,
Principe Alexandro Consul in urbe fuit,
Hic Maximinum teneris formavit ab annis,
Threjicio fuerat qui genitore satus.
Aonios culto gestavit pectore fontes,
Scripsit Apollineâ carmina digna cheli.
Sed legum cultu, & scriptis est clarior æqui,
Quæ decus æternum dant monimenta viro.

Tribonianus.

BYzanti magnus mutato nomine Cæsar,
E Latio sedem transtulit Imperii.
Post etiam didicit Romanas Græcia leges,
Et juris gnaros protulit ista viros.
Hac Tribonianus primas in gente meretur,
Inq; tuo est princeps, Justiniane, foro.
Immensum juris pelagus, pugnantia scita
Concordi in solidum corpore junxit opus.
Virtutes multas aspergine polluit una:
Turpis avaritiæ labe notandus erat.

Theophilus, Dorotheus & alii, quibus in seligendis legibus usus est Justinianus.

O Proceres, cùm vestra canat præconia Cæsar,
Heroâ illustres vivitis usq; tubâ.
Vos favor extollit, vos splendor Principis ornat:
Testatur vestram sæpiùs ille fidem.

IV.

AD

JOHANNIS LORICHII

Veteres JCtos, eos maximè, qui superiori commentario non sunt descripti.

NOTÆ.

PAPYRIUS MAJOR] Papirium, qui leges Regias sinè ordine latas in Codicem & corpus unum redegit, edito libro, quem jus civile Papirianum adpellavit (uti constat ex Pomponio in *l. 2 §. 3. ff. de orig. jur.* & testatur id ipsum Granius Flaccus, qui librum de jure Papiriano scripsit, referente Paullo in *l. 144. ff. de Verb. signif.*) *Sexti* prænomine laudat idem Pomponius. At Cujacius veriùs prænomen fuisse statuit, *Publii Papirii*. Corasius *Caii Papirii*, quòd Sextus Papirius in historiis occurrat nullus. Rævardus contrà, Oldendorpius, alii constanter ita legunt. Quid dicendum igitur? Res non multæ pecuniæ est, sed multæ difficultatis. Tutius tamen, ut Cujacii lectionem retineamus: eò quòd *in d. l. 2. §. 36.* expresse Publius nominetur. Quod & probare videtur Eberlinus ad eandem legem cap. 35. p. 2. Nisi cui fortè magis placeat Valentini-Gulielmi Forsteri conjectura, Papirium tri-

trinominem, ac *Publium Sextum Papirium* dictum fuisse putantis. Enimverò natus ille ex antiquâ planè & celebri familiâ fuit: vixit autem ante Reges adhuc exactos: uti quidem demonstrat Cujacius: licet deflectere videatur Rævardus *lib 1. de auctorit. prud. cap. 1.*

APPIUS CLAUDIUS DECEMVIR] Appiorum patricia apud Romanos gens multis insignibus Jureconsultis clara est: è quâ primus laudatur *Appius hic Claudius Regillanus*: unus è Decemviris, qui duodecim tabulas confecêre, fontem publici juris: cùmq; primo magistratus anno benè egissent, mirificè indè degenerantes, secundo Rempub. corruperunt, tertio protractâ sinè auctoritate Senatus ac populi potestate, omnium à se bonorum animos abalienârunt. Nec patribus consilium, nec plebi libertas erat reliqua: melior Senatus pars urbe excedebat: quidam factioni resistentes, inter quos L. Siccus Dentatus vir fortissimus, decemvirorum scelere interibant. Tandem princeps eorum, Appius Claudius noster, impudico amore amens Virginiæ, virginis pulcherrimæ, ut eâ potiretur, & Lucretiæ, & Regum, & juris, quod ipse composuerat, oblitus, clientem subornavit, qui puellam ex ancillâ suâ natam confirmando, amatore judice, in servitutem eam abriperet. Sed accitus puellæ pater è castris Virginius, ira furens, rapto è lanii officina cultro, in filiæ eum viscera adigit, morte meliùs

amitti ratus, quàm contumeliâ liberos. Cruentus sangvine filiæ ad milites, cum Volscis Sabinisq; bellantes, procurrit, motoq; tumultu eos in urbem trahit. Hi convulsis signis Aventinum insident, creatisq; ducibus in sacrum secedunt montem: decemviros magistratum ejurare, Senatum tribunos plebis restituere cogunt. Sic ob libidinem decemviralis tyrannis exstincta, ob quam etiam regia fuerat: reductum ad Consules imperium. Creati post decemviratum primi L. Valerius, & M. Horatius, plebi gratissimi, cùm ob majores popularitate claros, tum quòd tollendo decemviratui promptissimam operam tulissent. Hi leges promulgarunt: ut, quod plebs tributim sciisceret, Senatum Populumq; obligaret. Unde quidem Tribunitiis rogationibus acerrimum telum datum: item, ne quis magistratus sine provocatione fieret. Mox accusat Appius & Oppius decemviri: & in carcerem deducti judicium morte præveniunt: reliqui antequam ad plebem deferrentur, exilio solum vertere: bona eorum publicata. Videatur præter Pomponium *Dionysius Halicarnasseus lib. 11. antiq. Roman. Livius lib. 3. Sveton. in Tiber. cap. 2. Flor. lib. 1. c. 20. Valer. Maxim. lib. 6. c. 1. Author de viris illustribus cap. 21. Augustinus de Civitate Dei lib. 3. c. 17. Rittersh. comment. in XII. Tabb. leg. class. 3. p. 3. c. 10.* In carcere necatum fuisse Appium author de vir. illustr. prodidit, & Dio-

ny-

nysius jussu tribunorum decem, quos tunc sibi plebs creavit. Scripsisse librum de usurpationibus refert Pomponius, sed qui ad sua tempora non pervenerit.

APPIUS CLAUDIUS COECUS] *Centummanus* idem si Pomponio fides appellatus: quomodò quidem legit Codex Florentinus. Vulgati habent *Centimanus*. Alii *Cæcus*, idq; verius putant Zasius, Corasius, Oldendorpius, Cujacius, Eberlinus, M. Ant. Del-rio, & quis non de sanioribus interpretibus? Ita namq; legendum convincit vel ipse Ulpianus *in l. 1. §. 1. ff. de postul.* ac præter Livium, Valer. Max. *lib. 1. cap. 2.* & Frontinus in *lib. de aquæductu.* Vir fuit ob res præclarè gestas celeberrimus: Cæci quidem cognomen adeptus: quia post censuram, ob corruptam Potitiorum gentem Herculi sacram, & sacrorum ejus ritum ad humile servorum ministerium translatum, cœcitate percussus fuisse legitur. *Liv. lib. 9. c. 29. Lactant. lib. 2. c. 8.* Consulatum gessit unà cum L. Vol. Flamma anno U. C. 446. iterumq; cum eodem anno 457. In jure Civili & actiones composuit, & de usurpationibus librum, qui jam ætate Pomponii desiderabatur. Literam R. invenit, ut pro Valesiis Valerii, pro Fusiis Furii, pro Papisiis Papirii essent. Poëticam quoq; attigisse existimatur: cujus carmen à Panætio laudari in quadam ad Tuberonem epistola auctor est Cicero. Habitus est disertus & eloquens. Itaq;

R 3 se-

ſenex admodùm lectica vectus in curiam, cùm ſententia Senatus inclinaret ad pacem & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ verſibus proſeqvutus eſt Ennius:

Quò vobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementes ſeſe flexêre viai?

cæteraq; gravisſimè: ut pacem illam parùm ſalubrem disſvaderet. Legatus tunc Pyrrhi fuit Cyneas, vir nec mentis nec oris egens: qui cùm urbem luſtraſſet, atq; etiam blandiloquentiâ & munificentiâ variè tentaſſet, undiq; repulſus ad Regem rediit: rogantiq;: Quid de hoſtium ſede ſentiret? *urbem TEMPLUM ſibi viſum, Senatum REGUM eſſe conventum* faſſus fuit. Hiſtoriam lege apud Valerium *lib. 8. c. 10.* Authorem de viris illuſtrib. *c. 14.* Plutarchus in Pyrrho recitat hujus Appii orationem, qvam ad Senatum habuit. Meminit & Cicero, cùm *in Bruto* ſeu de claris oratoribus, tum in *Catone majore.* Sveton. in *Tiber. cap. 2.* Ovid. *lib. 6. Faſtor.*

Appius eſt autor: Pyrrho qui pace negatâ
Multum animo vidit: lumine captus erat.

Apophthegma ejusdem recitat Valerius *lib. 7. cap. 2. negocium populo Romano meliùs committi, quàm ocium:* non quòd ignoraret, quàm jucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quòd animadverteret, præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capeſſendam excitari. Laudatur in hoc viro & domeſtica diſciplina: de quo hunc in modum Tullius in Catone M. *Quatuor robuſtos*

stos filios, qvinq; filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat, & senex, & cœcus. Intentum enim animum tanquam arcum habebat, nec langvescens succumbebat senectuti: tenebat non modò autoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant eum servi, verebantur liberi, carum omnes habebant. Vigebat in illa domo patrius mos & disciplina. Benignus & utilis publicè insignem apud suos gratiam, apud posteros famam duobus maximè operibus, Aquæ & Viæ, utriusq; à se cognominatæ, meruit. Aquam nimirum, cùm Censor esset, ut scribit Frontinus, anno ab U. C. 441. post initium belli Samnitici anno XXX (sic enim pro XX legendum) Coss. M. Valerio Maximo, & P. Decio Murena (reponendum *Mure*) per tubos & canales in fornicibus lateritiis Romam advexit, ac per milliaria undecim circiter deduxit. Ejus venas primus invenerat C. Plautius collega App. Claudii in Censurâ, cui ab illo studio Venocis cognomen datum. Caussam indicat Frontinus, quur Aqua nihilominus Appia, non verò Plauta fuerit dicta. Via porrò, quam in eadem Censura lapide duro asperoq; stravit, eximia planè & inter principes vias fuit: de quo Statius ad Pollionem scribens:

Appia LONGARUM teritur REGINA viarum.

Initium ejus à portâ Capenâ, notantibus Frontino & Paullo Diacono; quin intra urbem ab Septizonio Severi, indicante Spartiano in vitâ Getæ Imperatoris. Protenditur Capuam apud

Frontinum *lib.* 2. & Brundusium apud Tacitum *lib.* 2. *annal.* Strabonem *lib.* 5. Horatium *lib.* 1. *epist.* 2. Auctorem de Viris illustr. *cap.* 34. Longitudinem, latitudinem, & alia hujus viæ singularia delineat Procopius *lib.* 1. Locus est elegans: quem examinat & librat J. Lipsius de *magnit. Roman. lib.* 3. *c.* 10. Restituerunt hanc viam Trajanus, unde & pars Appiæ Trajana dicta versus Paludes Ponctinas, teste Dione: & Antoninus Pius, ut indicat inscriptio Pontis super amnem Vulturinum. Meminerunt ejusdem Livius *lib.* 3. Tullius pro *Milone*, Pontius Paullinus, & nulli non scriptores: ut & Itineraria Tabula. Vestigia & reliquiæ, cùm ad Urbem, tum viâ Neapolitana hodièq; multis locis comparent.

P. SEMPRONIUS SOPHUS] A populo Romano σοφὸν appellatum, nec quenquam ante hunc, aut post hunc, eo nomine cognominatum esse, auctor Pomponius *in d. l.* 2. §. 37. Quid est igitur, quòd §. seq. dicitur, *Attilius autem primus à populo Sapiens appellatus est?* Durus hic nodus: ut nonnullis videatur inexplicabilis: sed quem tu facilè dissolves, si nominis saltem sonos discernas, non etiam effectum utriusq; vocabuli, atq; ea ut propria, non ut appellativa consideres. Etsi namq; σοφὸς in effectu & vi suâ denotat sapientem: usurpatione tamen civili nominis sonus inter has appella-

tio-

tiones differebat: Nec enim Attilius unquam σοφὸς fuit dictus, sed semper Sapiens: nec rursus Sempronius unquam Sapiens, sed semper σοφός. Neq; novum verò, propria hominum & familiarum nomina, sicut & locorum, quacunq; lingvâ retineri, nec per interpretationem in aliam lingvam transfundi. Sic capite decimo tertio Actuum Apostolicorum, Simeon quidam est, qui vocabatur Niger, non μέλας Græcè, sed Νίγερ. Συμεὼν ὁ καλούμενος Νίγερ. Sic Aristides δίκαιος fuit vocatus. Barsabas non δίκαιος, sed Justus: ut in eorundem Actuum capite primo: Βαρσαβᾶν, ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος. Ita exemplo vulgari, Dominus in effectu nihil discrepat à Germanico nostro Herr: & vulgariter tamen nomen Domini semissibus etiam hominibus, & veterum verbo, superioris caveæ sessoribus, famulis, & id genus aliis deferimus, Germanicum Herr nunquam delaturi. Atq; hæc à Cujacio profecta interpretatio Forstero quoq; filio *de jur. interpr. lib. 1. cap. 2. n. 22*, multò magis quàm vel Zasii vel aliorum arrisit: quam & probans Curtius *1. εἰκοσῶν 28*, Eberlin. *cap. 35. n. 8.* Fr. Tilemannus *in disc. Philolog. p. mihi 302. & seq.* Consulem fuisse sophum, unà cum P. Sulpitio Saverrione anno U. C. 449. testantur Fasti: inter Romanæ autem severitatis exempla eundem ponit Valerius Maximus *lib. 6. c. 3.* eò quòd conjugem repudii notâ affecerit, se ignorante ludos spectare

ausam. Cujusmodi quidem repudii causam à Theodosio & Justiniano Impp. approbatam discere licet ex *l. 8. §. vir quoq; C. de repud.* Adeò nimirùm incentivis illis pudicitiæ ac libidinum Christianos quoq; olim insanum in modum deditos fuisse, ex gravissimis constat reprehensionibus atq; insectationibus ludorum & spectaculorum, quæ exstant passim apud Tertullianum, Chrysostomum, Salvianum in libris de gubernatione DEI, aliosq; sanctos patres.

TIBER. CORUNCANIUS] Tiberium hunc juris civilis, cumprimisq; Pontificii peritissimum Cicero multis locis commendat, ut in *Bruto*, in *primo de Oratore*, & in *Orat. pro Plancio.* Primus ex plebe Pontificatum Maximum, quem ad id tempus septem tenuerant Patricii, auctoribus Cicerone & Livio, obtinuit: non satis comperto, utrum propter eximiam rerum divinarũ scientiam, an propter docendi assiduitatem tantum honorem acceperit: eâ quidem & doctrina & auctoritate instructus: ut de omnibus sacris & profanis rebus ad eum referretur, & à Senatu juxtà ac à populo, publicè ac privatim, ejus consilium expeteretur. Unde quidem Livius eum principem populi appellavit. Juris scientiam primus publicè professus, scriptum nullum, ut habet Pomponius, reliquit: sed Responsa complura & Memorabilia. Quo qui-

quidem posteriori nomine Paullus quoq; JCtus libros edidit uti apparet ex inscriptione *l. 144. ff. de V. S.* etsi ibi vulgò legitur, *Memoralium.* At verò apud Agellium & Macrobium Memorabilium libri constantèr inscribuntur. Nam quod in nuperis Agellii editionibus mutatum id est: contra veterum librorum auctoritatem factum, quos se antiquissimos vidisse testatur Causabonus in Svetonium. Meminit Coruncani Seneca lib. de vita beata cap. 20. *M. Cato cùm laudaret Curium, & Coruncanium, & seculum illud, in quo censorium crimen erat, paucæ argenti lamellæ, possidebat ipse quadragiès Sestertium.* Ad qvem locum Lipsius notat, Coruncanium sub idem tempus Consulem fuisse, Dictatorem, Triumphalem. Idem Seneca Epistol. CXIV. *Multi ex alieno seculo petunt verba: duodecim Tabulas loqvuntur. Gracchus illis, & Crassus, & Curio nimis culti & recentes sunt: ad Appium usq; & ad Coruncanum redeunt.* Macrobius lib. 1. cap. 5. *Curius, & Fabricius, & Coruncanus antiquissimi viri, vel etiam his antiquiores Horatii illi Trigemini, planè ac dilucidè cum suis fabulati sunt: neq; Auruncanorum, aut Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi coluisse in Italia leguntur, sed ætatis suæ verbis loqvebantur. Tu autem perindè qvasi cum matre Evandri.*

Q. FABIUS PAMPHILUS] Sequitur Lorichius Zasii & aliorum sententiam, qui pro Pomponii Q. Mucio, Q. Fabium nominant.

De

De ea porrò legatione sic Agellius lib. X. cap. XXVII. *Quintus Fabius Imperator Romanus dedit ad Carthaginenses epistolam: ibi scriptum fuit: populum Romanum misisse ad eos hastam & caduceum, signa duo belli ac pacis: ex quibus, utrum vellent, eligerent: quod elegissent, id unum ut missum esse existimarent. Carthaginenses responderunt, neutrum sese eligere: sed posse, qui attulissent, utrum mallent, relinquere, quod reliquissent, id sibi pro lectis futurum. Marcus Varro autem non hastam ipsam, neq; ipsum caduceum missa dicit: sed duas tesserulas, in quarum una caduceum, in altera simulacra hastæ fuerint incisa.* Livius lib. XXI. missos in hanc legationem ait Q. Fabium, M. Livium, L. Æmilium, C. Licinium, Q. Bæbium: & ex his Fabium sinu ex toga facto dixisse: *Heic vobis bellum & pacem portamus: utrum placet, sumite.* Sub hanc vocem haut minùs ferociter succlamatum à Carthaginensibus, *daret, utrum vellet.* Et cùm is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, omnes *accipere se, & quibus acciperent animis, iisdem gesturos.* Neq; aliter Silius libro primo: nisi quod poëtico quodam furore duas legationes in unam conjungit.

Non ultrà patiens Fabius texisse dolorem,
Concilium exposcit properè, patribusq; vocatis,
Bellum se gestare sinu pacemq; profatus,
Quid sedeat legere, ambiguis non fallere dictis
Imperat: at sævo neutrum renuente Senatu,

Ceu

Ceu clausas acies, gremioq; effunderet arma,
Accipite infaustum Libyæ, eventuq; priori
Par, inquit, bellum: & laxos effudit amictus.

Ergò non in nomine tantùm, sed & in ipsâ re narranda ab aliis scriptoribus dissentit Pomponius: qui Græcos quosdam seqvutus annales, tesserarum induxit sermonem, duasq; positas ait, certatumq; inter partes tesseræ deligendæ, cujusnam esset optio. Tandem bellum Carthaginenses sumpsisse. Enimverò viris doctis Livianum magis probatur elogium: magis enim ex dignitate Populi Romani bellum indicentis videtur: cùm præsertim alibi quoq; magna legatur in legationibus Romanorum dignitatis cura.

P. ÆLIUS PÆTUS] Æliorum familia primitùs quidem plebeja, sed postmodùm illustris fuit: de qua Valerius Maximus lib. 4. c. 4. *Ælia*, inquit, *familia quàm locuples? Sedecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula fuerat, eodem loci, quo nunc sunt Mariana monimenta: & unus in agro Veiente fundus, minùs multò cultores desiderans, quàm dominos habebat. Inq; maximo circo Flaminio spectaculi locus, quæ quidem loca ob virtutem publicè donata possidebant. Eadem gens nullum antè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus Perso rege devicto, Qv. Ælio Tuberoni genere suo quinq; ponto argenti ex præda donaret. Taceo enim, quod princeps civitatis filiam ei nuptui de-*

dedit: cujus pecunia tum jejunos penates videbat. quin ipse qvoq; adeò inops decessit, ut nisi fundus, quem unum reliqverat, venisset, uxor ejus dotem unde reciperet, non extitisset. Oriundi ex eâ tres referuntur Jureconsulti: quorum primus P. Ælius juris scientia non minus quàm belli gloriâ claruit. Ædilis Prætorq; factus anno U. C. 550. biennio pôst, cum Cn. Cornelio Lentulo Consulatum gessit: quo nimirùm anno P. Cornelius Scipio Romæ triumpharet de Pœnis, Annibale & Siphace: unde & Africani nomen accepit. Ipse Italiam provinciam sortitus, cùm audisset à Boiis incursationes in agros sociorum factas, duabus legionibus subitariis tumultus ejus caussa scriptis, & additis ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Appium sociorum præfectum, per Umbriam Boiorum agrum jussit invadere, ipse eodem aperto itinere per montes duxit. Appius Boiorum fines ingressus, primò populationes satis prosperè ac tutò fecit: delecto deinde ad castrum Mutilum idoneo loco, ad demetenda frumenta (jam enim maturæ erant segetes) profectus, neq; explorato circà, nec stationibus satis firmis, quæ armatæ inermes atq; operi intentos tutarentur, positis, improviso hostium impetu cum frumentatoribus est circumventus: inde pavor fugaq; etiam armatos cœpit. Ad septem millia hominum palata per segetes sunt cæsa, inter quos ipse C. Appius Præfectus: cæteri in castra metu compulsi,

imò

imò sine certo duce, consensu militari, proximâ nocte, relictâ magnâ parte rerum suarum ad Consulem per saltus propè invios profugère. Consul magno suorum malo, Bojorum fines populatus, Romam rediit. *Livius l. 32.* Inter Decemviros exinde fuit, qui agrum Samnitem atq; Apulum metirentur, ac militibus dividerent: idemq; Censor cum Scipione Africano factus, laudabiliter officium gessit. Quin ad Triumviratum quoq; pervenit, ac sequenti anno cùm augur esset, lue pestilenti obiit. Secundus SEXTUS ÆLIUS, juris non modò civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus, Cicerone teste in Bruto, ab Ennio, summo Poëta, hujusmodi laudatus versiculo:

Egregiè cordatus homo Catu' Aeliu' Sextus.

Catus, hoc est, acutus, ab acumine nimirùm ingenii sui dictus. Eum versiculum Crassus apud Ciceronem *l. de Orat.* allegat: quo nimirum loco de juris dignitate apud Romanos differens, in Græcia Jurisconsultos esse homines viles & abjectos, Romæ verò amplissimos & clarissimos haberi ostendit: ac posterius hoc Sexti Aelii exemplo confirmat. Quem & paullò pòst eodem libro Antonius in exemplum veri Jureconsulti adducit, hunc in modū loquens: *Sin quæreretur, quisnam Jurisconsultus verè nominaretur, eum dicerem, qui legum & consvetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus esset: & ex eo geno-*

genere S. Ælium, M. Manilium, P. Mucium nominarem. Curulis Ædilis factus coëmptione & distributione frumenti tàm laudabilem Reip. operam navavit, ut & ipse non ad Triumviratum modò, sed & ad Consulatum evectus fuerit, T. Qvincto Flaminio collegâ anno U. C. 555. Obvenit tunc Qvinctio Macedonia, Ælio Italia: in quam ipse adversus Gallos profectus, cùm duos in provinciâ exercitus sub se, subq; C. Ælio Prætore haberet, nihil tamen memorabile gessit: sed totum propè annum Cremonensibus, Placentinisq; cogendis redire in colonias, unde belli casibus dissipati erant, consumpsit. *Marc. Welser. rerum Boic. lib. 1.* Tertius Ælius Pætus filius, Publiine, an Sexti, incertum. Magis autem est, ut credamus, Pomponium loqui de Q. Ælio Pæto, quem unà cum M. Junio Penno (cujus temperantiam Plinius celebrat *lib. 33. c. 11.* Livius, Eutropius, & alii) Consulem fuisse reperio anno U. C. 586. in quem illi nobilissimi triumphi dies (nam per triduum pompa ducta) inciderunt: quo L. Æmilius Paullus victum ante currum egit Persen, Macedonum Regem. Eum triumphum ita descripsit Plutarchus, ut & inde triumphandi ratio peti possit, & nihil unquam de triumphis legatur simile. Pomponius in *d. l. 2. §. 7.* cantiones ait ab eo compositas, & librum populo datum, qui jus Ælianum appellatur: laudans insuper §. 36. ejusdem librum, qui inscribitur Tripartita, quo veluti cu-

na-

nabula juris contenta fuerint: sic autem dictum, quod in se tria ista complecterentur: legis XII. tabb. verba: interpretationem Ælianam: ac deniq; legis actionem, id est, formulam agendi. Erat is commentarius satis breviter conscriptus, ac tunc propè unicus: quem cùm in ambiguis dubiisq; casibus consulissent, præclarè sibi in judiciis instructi videbantur.

ATTILIUS SAPIENS] Pomponio Publius Attilius: Mureto & Albano Spinosato *Lucius Acilius:* quos, quamvis improbante Tilemanno, seqvuntur Corasius, Eberlinus ac Val. Guliel. Forsterus. Idq; auctoritate Tullii, sic in Lælio scribentis: *Scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse Sapientem, qvia prudens in jure civili putabatur.*

P. CORNELIUS SCIPIO NASICA] Oriundus hic fuit è patricia Scipionum gente, Scipionis in Hispaniâ occisi filius, Africani Scipionis patruelis. Pomponius *Cajum* nominat: sed qui *Publii* prænomine ab aliis Scriptoribus constanter appellatur. Optimum à Senatu indigitatum, elogio quidem omnibus victoriis ac triumphis anteponendo, notat idem Pomponius. Quod quomodo factum narrat Livius *lib. 29.* Ovidius *quarto Fastorum*, Valerius *libro VIII.* alii. Cicero de Haruspicum responsis: *Sacra ista nostri majores adscita ex Phrygia Roma collocarunt: quæ vir is accepit, qui est optimus à P. R.*

S *ju-*

judicatus P. Scipio: femina autem, quæ matronarum castissima putabatur Q. Clandia. Quo quidem in loco vel obiter notandum, matronarum nomine etiam Virgines indigitatas fuisse. Auctor libelli de viris illustribus. *Publius Scipio Nasica à Senatu vir optimus judicatus, insuper matrem deûm hospitio recepit. Qvum adversum auspicia consulem à se Gracchos nominatum compeVisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi quisq; per ambitum in foro ponebat, sustulit. Consul Delminium urbem Delmatarum expugnavit. Imperator nomen à militibus, & à Senatu triumphum recusavit oblatum. Eloquentia primus, juris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus fuit: unde vulgò Corculum dictus.* In quibus tamen posterioribus verbis sunt, qui ἀνιστορησίαν notant. Is enim, quem Cicero *in Bruto*, ac *lib. 1. Tuscul. quæstion.* ob singulares animi dotes Corculum (sic antiquior ætas Sapientem nominabat, cùm omnem sapientiam corde contineri simpliciùs arbitraretur) appellatum, ac bis Consulem & Censorem fuisse memorat, hujus nostri filius fuit, ita probante Henrico Lorito Glareano *annot. in Val. Max. n. 65. & 89.* nec non Eberlino *cap. 35. n. 9.* Scipionis Africani gener, uti adparet ex Plutarcho in Æmilio Paullo. Ædilitate curuli nobilissimum tunc juvenem ob levissimum dictum excidisse, quòd nimirum, cùm rustici cujusdam manum opere duratam prehendisset, ex eo per jocum

quæ-

quæreret, num manibus solitus esset ambulare, refert Valerius Maximus *lib. 7. c. 5.* togatæ potentiæ clarum lumen eundem nuncupans, qui Consul Jugurthæ bellum indixerit, qui matrem Idæam è Phrygiis sedibus ad Romanas aras focosq; migrantem sanctissimis manibus exceperit, qui multas & pestiferas factiones authoritatis suæ robore oppresserit, quo principe Senatus aliquot annos gloriatus sit. Prætor factus anno U. C. 559. Consulatum accepit unà cum M. Acilio Glabrione, anno post urbem conditam 562. quo non modò bellum Syriacum in Antiochum & Hannibalem gestum, sed & bellum contra Boios, quantâ ante eum diem maximâ contentione recruduit, exitu non pro Boiorum virtute, sed pro unâ omnium gentium victoris populi fortunâ, Nasicæ demandatum est, qui legionibus in hostilem agrum inductis, Boios obvios, signis collatis, insigni victoria superavit. Antias Valerius retulit, duodetriginta Boiorum millia cæsa, capta tria millia, & quadringentos, signa militaria centum viginti quatuor, equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta quadraginta septem, ex Romanis mille quadringentos octoginta quatuor cecidisse. Nasica in hanc ferè sententiam, oratione, quam pro triumpho habuit, plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hostiū cæsam, neq; cū tot millibus Boiorum quenquā ante se imperatorē pugnavisse, multa millia capta, senes pue-

rosq; supereſſe dixit. Caſtra etiam in Romanorum poteſtatem venêre. Boii tot continentibus cladibus attriti, nullis reliquis, quas victori objicerent, viribus, ſe poſt adverſam pugnam coacti extemplò dedere, imperatis obſidibus, dimidia ferè agri parte mulctati ſunt; quò ſi vellet Pop. Rom. colonias poſſet mittere. In triumpho, Gallicis carpentis arma, ſignaq; & ſpolia omnis generis transvecta, & vaſa ænea Gallica, & cum captivis nobilibus, equorumque; greges traducti, aurei torques translati, mille quadringenti ſeptuaginta, ad hæc auri pondo ducenta quadraginta quinq;, argenti infecti factiq;, in Gallicis vaſis, non infabrè more gentis factis, duo millia trecena quadraginta pondo, bigatorum nummorum ducenta triginta quatuor, militibus, qui currum ſecuti ſunt, diviſi triceni, viceni, quini aſſes, duplex centurioni, triplex equiti. Plautus, Latinarum feſtiviſſimus, ſive Naſicæ triumphum, ſive poſteriora bella Boia ſpectans, Capteiveis comœdiâ Stalagnum Boium ſervum induxit, & in ambiguo Boiæ nomine jocatus eſt: gnarus ſcilicet popularis artifex, animos afficere & delectare validius, ea quæ in præſenti uſu & quodammodo conſpectu ſunt.

Q. FABIUS LABEO] Conſul fuit unà cum M. Cl. Marcello anno U.C. 570. De quo Valerius Maximus *lib. 7. c. 3.* hunc in modum ſcribit: *Quintus Fabius Labeo arbiter à Senatu ſi-*

finium constituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus, cùm in rem præsentem venisset, utrosq; separatim monuit, ut omissâ cupiditate regredi controversiâ quàm progredi mallent: idq; cùm utraq; pars auctoritate viri mota fecisset, aliqvantulum vacui in medio agri relictum est. Constitutis deinde finibus, ut ipsi terminaverant, quicquid reliqvi soli fuit, populo Romano adjudicavit. Cæterum etsi circumventi Nolani ac Neapolitani queri nihil potuerunt, secundum ipsorum demonstrationem dicta sententia, improbo tamen præstigiorum genere novum civitati nostræ vectigal accessit. Eundem ferunt, cùm à Rege Antiocho, quem bello superaverat, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe privaret. Quo quidem non tam strategemate, quàm dolo & fallaciâ, sicut paria fecit cum Campanis, qui & ipsi cùm dimidiam armorum partem relinquere hostibus haberent, arma omnia dissecuerunt, & dissectorum partem dimidiam reliquerunt, teste Polyæno *lib. 6.* ita meritissimo suo cùm in aliorum politicorum, tum Alberi Gentilis potissimùm censuram incurrit. Est enim hæc non divisio, sed omnium corruptio, ut bellè Cascellius apud Macrob. 2. Saturn. 6. *Navem si dividis, nec tu, nec socius habebitis.* Et interpretes in facto ridiculo ejus, qui sic item emerat dimidiam ficuum partem, atq; medios singulos volebat. *Jas. & Alciat. in l. 12. 13. ff. si cert. pet.* Et Labeo, & Sabinus, quòd si vestimentum scissum reddatur,

 vel

vel res corrupta reddita sit, res abesse videatur, quæ & Pedius, & Ulpianus, & Paulus probant. *l. 13. & 14. ff. de V. S. Alb. Gent. de jur. bell. lib. 2. cap. 4.*

Q. FABIUS PICTOR] An. U. C. 538. Delphos ad oraculum missus, anno autem 565. Flamen Quirinalis inauguratus, & Prætor factus Sardinam provinciam nactus est. Priusquam in provinciam iret, certamen cum P. Licinio Pontifice Maximo habuit: de quo Livius lib. 37. Legitur sub illius nomine liber de aureo seculo & origine urbis Romæ, ac vocabulis ejus: itemq; liber secundus de Romulo. Alius ab eo fuit Ser. Fabius Pictor, quem Cicero commendat in Bruto: *Tenuit cum hoc locum quendam etiam Serv. Fulvius, & unà Ser. Fabius Pictor, & juris, & literarum, & antiquitatis benè peritus, Quinctusq; Fabius Labeo fuit ornatus iisdem ferè laudibus.*

M. PORTIUS M. F. CATO] Pomponius de Catone hunc in modum scribit: *Hos sectatus ad aliquid est Cato. Deinde M. Cato Princeps Porciæ familiæ, cujus & libri extant: sed plurimi filii ejus, unde cæteri oriuntur.* Eam lectionem licet constanter retineant Zasius, Oldendorpius, Gothofredus: rectiùs tamen Cujacius, Muretus, Corasius, Eberlinus: qui Catonis nomen priore loco delendum putant, atq; adeò sic legendum: *Hos sectatus ad aliquid est deinde M. Cato pinceps Porciæ familiæ.* Quin &

postrema verba, *unde cæteri oriuntur*, Muretus censet redundare, & esse glossema alicujus: qui cùm putaret hoc dici, plurimos fuisse filios Catonis Censorii, addiderit, ab iis filiis cæteros Catones oriri. Eum ipsum porrò Catonem Tusculanum fuisse, cùm aliunde, tum ex oratione Ciceronis pro Plancio constat. Gentilitatem autẽ & seriem Catonum explicat Agellius *lib. 13. cap 18.* quod dignum est & utile lectu. Quemadmodum adolescens sub Fabro Maximo militaret, Nearcho Pythagoreo Philosopho familiariter usum fuisse, ex eoq; multa Philosophiæ præcepta didicisse autor est Plutarchus. Prætor factus Sardiniam obtinuit, tantâ continentiæ frugalitatisq; famâ; ut quasi divinum quoddam cœloq; demissum spectaculum eũ socii venerarentur. In Consulatu anno U. C. 558. Hispaniam nactus est provinciam, in quâ quo pacto sategerit, docet Livius *lib. 34. Sed in Consule*, inquiens, *ea vis animi atq; ingenii fuit, ut omnia maxima minimaq; per se adiret, atq; ageret: nec cogitaret modò imperaretq;, quæ in rem essent, sed pleraq; ipse per se transigeret: nec in quenquam omniũ gravius severiusq;, quàm in semetipsum, imperium exerceret, parsimoniâ & vigiliis & labore cum ultimis militum certaret: nec quicquam in exercitu suo præcipui, præter honorem atq; imperium haberet.* Tametsi verò non desunt, qui illud in Catone reprehendant, quòd Ilegertum sociorum legatis auxilia pollicitus fuit, quæ socios confirmare, hostes terrere possent: à mendacio tamen id factum excusant, qui de ju-

re belli scripserunt, viri clarissimi. Nihil enim heîc dictum, nihil promissum fuisse hostibus: nocumentum autem, quod inde sequutum est, extrinsecum quid esse, & per se non illicitum optari aut procurari. Vide *Alber. Gentil. de jur. bell. lib. 2. cap. 5. Hug. Grot. de jure belli ac pacis lib. 3. cap. 1. §. 20.* Pacatâ Hispaniâ triumphum egit: Censorq; factus, munus illud ad dignitatem, quam non dubitat Plutarchus vocare in Æmilio Paulo ἀρχὴν πασῶν ἱερωτάτην, in Catone κορυφήν τινα τιμῆς ἁπάσης, καὶ τρόπον τινα τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσιν, severissimè administravit: adeò quidem, ut *Censorius* inde nuncupari meruerit: ab omnibus quidem veteribus certatim commendatus: Tullio maximè *in Bruto, ac tertio de Oratore:* Livio *lib. 49.* Plinio *lib. 7. cap. 27. & lib. 14. cap. 4.* Quintiliano *lib. 3. cap. 10. & lib. 12. cap. 11.* Et apud hunc quidem præcipua illius laus: quòd optimus orator, optimus Senator, optimus imperator, juris civilis fuerit peritissimus. Apud Cornelium nepotem in libro de vita excellentium imperatorum, Et agricola solers audit, & Reip. peritus, & Jurisconsultus, & magnus Imperator, & probabilis orator, & cupidissimus litterarum. Vide ibidem de eo plura: nec non apud Plutarchum in ejus vitâ: itemq; auctorem libelli de viris illustribus. Ad solertiam ejus in caussis agendis allusit Petronius Arbiter in Satyrico:

Car-

Carmina componat, declamet, concrepet omneis,
Et peragat caussas, sitq́; Catone prior.

Quadragies & ampliùs accusatus, semper tamen absolutus fuit: nec id gratiâ aut opibus, sed contra gratiam aut opes totius ferè civitatis. Nam inimicós ei plurimos aut invidos, cùm probitas, tùm severitas faciebat: qui nemini parcere, aut amicus esse didicerat, qui Reip. non esset. Atq; adeò (miræ fiduciæ factum) ex hoc numero inimicorum Tib. Semproniúm Gracchum, cùm senex accusaretur, ultrò judicem poposcit & sumpsit: sed & adversario judicante absolutus, in posterum & gloriam sibi & securitatem peperit. *Lips. mon. & exempl. polit. lib. 1. cap. 7.* Scripsit de Re Rusticâ, de Re Militari, de liberis educandis, Commentarios juris civilis, Epistolas, Orationes amplius 150, libros Originum, & multa alia: quorum fragmenta quæ supersunt, paucis abhinc annis unà cum de R. R. libro recensuit, ac notas addidit Ausonius Popma Frisius. Et inter orationes quidem fuerunt nonnullæ, quas de suis ipsius virtutibus scripsit: id quod innocentiæ periclitanti, absq; aurium fastidio, conceditur: Plutarcho præter alios peculiari libro id asserente, Græcorumq; exemplis probante, quæ ibi legi possunt. Græcas litteras serò tandem perdidicisse, qui Græcos & id genus omne tolli urbe volebat, auctores sunt haut pauci. Dicta & apophtegmata ejus complura recitantur: quorum quædam inter fragmenta, quæ dixi, legi possunt *pag. mihi 148. & seqq.* Ex oratione,

quam de præda scripsit, vehementibus in eâ atq; illustribus verbis, de impunitate peculatus atq; licentiæ conquestus, hujusmodi extat dicterium: *Fures privatorum furtorum in nervo atq; compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atq; purpurâ. Agell. lib. 12. c. ult. Priscian. lib. 17.* Trium, quæ in vitâ egisset, se inprimis pœnitere, consvevit dicere: quòd arcana feminæ credidisset; si quis sibi dies absq; fructu effluxisset: si quopiam navigio vectus esset, quò pedestri itinere pervenire licuisset. *Plutarch. in ejus vitâ.* Interrogatus, cur statuam inter nobiles non haberet, præoptare se, inquit, ut homines virtutum admiratores expostularent injuriam non decretæ sibi statuæ, quàm ob honorem delatum gratularentur. *Plutarch. ibid. & Amm. Marcell. lib. 14.* Eadem nimirum mente animi, qualem Stiliconi fuisse lectissimis versibus refert Claudianus lib. 2. de laud. Stiliconis.

— — quis devius esset.
Angulus aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos coleret, talem nî semper honorem
Respueres? decus hoc rapiat, quem falsa timen-
Munera decipiunt, qui se diffidit amari: (tum
Hic solus sprevisse potest, qui jure meretur.

Q. Albium quendam, qui sua bona comedisset, & novissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, *Propter viam fecisse dicebat, quod comesse non potuit, id combussisse. Macrob. lib. 2. Saturn. c. 1. ubi:* Propter viam, sacrificium

fuisse

fuisse dicit, in quo mos erat, ut si quid ex epulis superfuisset, combureretur. Frugalitatem exemplo Catonis commendat Seneca epist. 87. *M. Cato Censorius*, inquiens, (*quem tàm Reipub. herculè profuit nosci, quàm Scipionem: alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit*) *canterio vehebatur, & hipperis quidem impositis, ut secum utilia portaret &c.* Reipublicæ tamen cùm totos dies operam daret, interdum largiùs sese aspersit flore Liberi patris. De quo notum illud Horatii:

Narratur & prisci Catonis
sæpè mero caluisse virtus.

Exemplo quidem hujusmodi, quod sapientibus etiam licere ostendit, interdum fessos spiritus potu plusculo excitare, atq; adeò vino incalere quidem, dum haut ferveas: dum spiritus, quos excitari speres, haut sopias. Vide Senec. *de anim. tranquillit. cap. 15.* Filios habuit aliquammultos: & in his duos celebriores diversis matribus natos, ætate dispares, quorum alter Prætor designatus, patre vivo mortuus, egregios de juris disciplina libros reliquit, autoribus Pomponio & Agellio *lib. 13. cap. 18.* Alter ex filiâ Salonii scribæ natus, quam quidem cum ducturus esset, interrogante prioris matrimonii filio, quo suo peccato vel offensâ novercam sibi superduceret, exclamans pater, *Bona verba,* inquit, *fili. Omnia facta tua mihi grata sunt, neq;, quod querar, quicquã habeo: sed plures mihi cupio filios & cives patriæ relinquere tui similes. Plut. in Vit. Cat.*

Cato-

Catonis porrò Soloniani nepos fuit M. Cato junior ille, qui à loco, ubi mortem sibi conscivit, Uticensis cognominatur: Philosophus idem ac Stoicus dictus: qui de jure civili nihil scripsit. Unde & *l. 3. §. Cato. ff. de V. O.* non de Catone Stoico, sed Catonis nostri ex primis nuptiis filio intelligendam Lindemannus notat. Hujus & est Regula Catoniana: de qua peculiaris in Pandectis titulus. Octuaginta quinq; annos natum nostrum è vitâ excessisse scribit Cicero de clar. orator. idq; Coss. L. Martio, M. Manilio: qui in annum U. C. 604. videntur competere. Ut verum sit, quod & Plinius *lib. 29. cap. 1.* dicit, hoc eum anno obiisse, & quod idem Cicero scribit, eum mortuum LXXXVI. ante suum Consulatum annis. Nam de ætate Catonis Plinius ei adsentit: Contrà Plutarchus, qui quod Ser. Galbam nonagenarius accusârit, in ejus vita prodidit: à quo Livius quoq; stare videtur.

M. MANILIUS] De eo sic Crassus apud Ciceronem tertio de oratore: *Meminerunt illi Sext. Ælium, M. verò Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro: quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam, ad quos olim & ita ambulantes, & in solio sedentes domi, sic adibatur: non solùm ut de jure civili ad eos, verùm etiam de filiâ collocandâ, de fundo emendo, de agro colendo, de omni deniq; aut officio aut negocio referretur.* Hæc fuit

Pub

Pub. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncani, hæc proavi generi mei Scipionis prudentissimi hominis sapientia, qui omnes Pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atq; humanis rebus referretur: iidemq; & in Senatu, & apud populum, in caussis amicorum, & domi & militiæ, consilium suum fidemq; præstabant. Crebra Manilii mentio apud Varronem de Re Rustica. Pomponius inter eos refert, qui fundarunt jus civile, ac libellos eum tres reliquisse, extareq; volumina scripta, Manilii monumenta, testatur. Ortus fuit non è patriciâ *Manliorum*, sed plebejâ *Maniliorum* familiâ. Plebis enim tribunatum gessisse Manilios constat vel ex illo Manilio, cujus legem Cicero prætor svasit, quâ Mithridaticum bellum Cn. Pompejo mandabatur. Consulatum gessit cum L. Martio Censorino anno U.C. 604. quo tertium bellum Punicum inchoatum fuit, quadriennio inde à Romanis adversus Carthaginienses gestum, & Carthaginis (quæ Salviano dicente *lib. 7. de gubern. Dei*, universarum urbium princeps & quasi mater, Romanis arcibus semper æmula, armis quondam & fortitudine, pòst splendore & dignitate urbi Romæ maximè adversaria, & in Africano orbe quasi Roma fuit) excidio finitum. De quo Appianus Alexandrinus in Lybico & historici complures. Alius porrò ab hoc nostro fuit cœlestis ac sidereus ille M. Manilius, Johanni Aurato

ATLAS

Alter & Alcides qui capite astra tulit.

De ætate, qua is vixerit, videatur Gevartius in *Papin, 186.*

M. BRUTUS] M. Junius Brutus aliis dicitur: oriundus quidem ille ex clarissimâ vetustissimâq; familiâ: vir optimus ac juris peritissimus, teste Cicerone in Bruto. Tres solos veros de jure civili libros (septẽ nominat Pomponius) reliquit. Cæteri non habebantur γνήσιοι: quod constat ex Ciceronis secundo de Oratore. Consularẽ nominat Pomponius, nec repugnant Fasti: si modò ipse M. Junius Brutus, qui M. Manlii Volsonis in Consulatu collega fuit anno ab U. C. 575. licet alii præturam eum non excessisse scribant. Filium habuit degenerem: qui patrimonio adeso inter accusatores & quadruplatores connumerari, acutioribusq; & gravioribus contumeliarum aculeis per jocum vexari meruit. In eo certè, quem dixi, Ciceronis libro, triplex in illum Licinii Crassi legitur jocus, satis acerbus. Dixerat Brutus, se sine caussâ sudare. Cui Crassus breviter, *Minimè nimirùm*, inquit: *modò enim existi de balneis.* Exire nimirùm de balneis, significat aliàs egredi, aliàs autem balnearum possessionem amittere. In accusatione Cn. Planci cùm ex duobus lectoribus ostenderet Brutus, contraria Crassum, patronum illius, in oratione, quam de Coloniâ Narbonensi habuerat, svasisse eis, quæ de lege Servilia dixerat:

xerat: Crassus econtra tres excitavit & ipse lectores, hisq; patris ejus tres de jure civili libellos dedit legendos? quorũ cùm in Privernati unus, alter in Albano, tertius in Tyburti sermonem habitum complecteretur, ubi eæ essent paternæ possessiones (omnes autem Brutus vendiderat) requirebat: hoc insuper addito: Quòd nisi puberem te jam haberet, quartum librum composuisset, & se etiam in balneis locutum cum filio scriptum reliquisset. Idem Crassus sumptâ occasione objurgationis ex Juniâ, Bruti propinquâ, quæ tum fortè Crasso dicente per medium forum efferebatur ad rogum, longâ inductione honesta & utilia hominum studia collegit, quorum Brutus spretor erat atq; contemptor: conjectis quippe oculis, gestu omni imminenti, summâ gravitate & celeritate verborum, *Brute, quid sedes,* inquiens? *quid illam anum patri vis nunciare tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti studere? patrimonione augendo? At id non est nobilitatis: sed fac esse: nihil superest: libidines totam dissipaverunt. An juri civili? est paternum: sed dicet, te cum ædes venderes, ne in rutis quidem & casis solium tibi paternum* (h. e. sellam & hexedrum, in qua pater sedens de jure responderat) *recepisse. An rei militari, qui nunquam castra videris? An eloquentiæ, quæ nulla est in te*

&

& quicquid est vocis & lingvæ, omnem in istum turpissimum calumniæ qvæstum contulisti? Tu lucem aspicere audes? In hos intueri? Tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu? Tu illum mortuum, tu imagines ipsas non perhorrescis, quibus non modò imitandis, sed ne collocandis quidem (nam & domum & atrium & armaria vendiderat) tibi ullum locum reliquisti? Ventura Cæcus Jureconsultus Bononiensis catalexeos in *l. 2. de orig. Jur. lib. 3. excurs. 6.* miratur hunc fuisse tribunum plebis: nisi vel ad plebem transiit, vel pars Juniæ familiæ adjecta est plebi. In Tribunatu certè legem tulit, Capuam ut deduceretur Colonia: multaq; contra Remp. molitus, pessimo tandem exitio periit, Capuaq; desiit esse Colonia, donec primo Cæsaris consulatu lege Julia iterum fuit deducta, agro Campano diviso. Innuit hæc Cicero in his, quæ ad Rullum de lege agraria peroravit: mirari se asserens, Rullum imitantem acta Bruti, ejus exitum non pertimescere.

M. BRUTUS, ejus pater, qui Julium Cæsarem occidit] De hujus in jure præstantia nihil legere memini. Marci Lepidi sectatorem à Pompejo interfectum, & Plutarchus in hujus vita, & tota illius belli historia docet, nec non Livius *epist. 90.*

P. LICINIUS CRASSUS MUTIANUS] Consul hic fuit unà cum L. Val. Flacco anno U. C 622. De bello contra Aristonicum, qui

At-

Attalo Rege mortuo Asiam occupavit, vide Justinum, & Ciceronem *Philipp.2.* De Crasso ipso sic Agellius lib. 1. c. 13. *Is Crassus à Sempronio Asellione, & plerisq; aliis historiæ Romanæ scriptoribus traditur quinq; habuisse rerum bonarum maxima & præcipua: quòd esset ditissimus: quòd nobilissimus: qvòd eloquentissimus: quòd jurisconsultissimus: quòd Pontifex maximus. Is qvum in Consulatu obtineret Asiam provinciam, & circumsedere oppugnareq; Leucas opidum pararet: opusq; esset firma ac procera trabe, qua arietem faceret, quo muros ejus opidi quateret: scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Atheniensium, sociorum amicorumq; populi Romani: ut ex malis duobus, quos apud eos vidisset, uter major esset, eũ mittendum curaret. Tum magister comperto, quam ob rem malum desideraret, non (uti jussus erat) majorem, sed quem esse magis idoneum aptioremq; faciendo arieti, facilioremq; portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari jussit: & qvum interrogasset, cur, quem non jusserat, misisset: caussis rationibusq;, quas dictabat, spretis, vestimenta detrahi imperavit, virgisq; multis cecidit: Corrumpi atq; dissolvi officium omne imperantis ratus, si quis ad id, quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat.*

C. LIVIUS DRUSUS] Quem heic describit Lorichius, minimè is quidem *L. Livius Drusus*, Catonis Uticensis avunculus, sed *C. Drusus* fuit: de quo Cicero lib. 5. Tuscul. quæst.

Appium quidem veterem illum, qui cæcus annos multos fuit, & ex magistratibus, & ex rebus gestis intelligimus in illo suo casu, nec privato nec publico muneri defuisse. C. autem Drusi domum compleri consultoribus solitam accepimus: cùm, quorum res esset, sua ipsi non videbant: cæcum adhibebant ducem. *Valerius Maximus lib. 8. cap. 7.* Consimilis perseverantiæ Livius Drusus, qui & ætatis viribus & acie oculorum defectus jus civile populo benignissimè interpretatus est: utilissimaq; discere id cupientibus monimenta composuit. Nam ut senem illum natura, & cæcum fortuna facere potuit, ita neutra interpellare valuit, ne non animo & videret & vigeret. L. Livii Drusi celebre in historiis nomen. Domum quidem in palatio cùm ædificaret, & architectus offerret, ita se structurum, ut libera ab arbitris, & omni despectu esset: *Quin tu potiùs,* inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quicquid agam, ab omnibus inspici posit.* Vox magnifica, vox laudanda! Vita an par ea fuerit, ambigit, etsi non inquirit Lipsius.

C. MARTIUS FIGULUS] C. Martii, qui cum Nasica Corculo anno U. C. 592. ac septennio pòst iterum cum Corn. Lentulo Consulatum gessit, filius: ut juris civilis studio celeberrimus, ita mansvetissimi vir ingenii: sed quem haut eò minùs iracundiæ stimuli prudentiæ moderationisq; immemorem reddiderunt. Consulatus enim repulsæ dolore accensus, eò

quidem magis, quòd illum bis patri suo datum meminerat, cùm ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent, omnes dimisit, præfatus: *Omnes consulere scitis, consulem facere nescitis.* Ita de eo Valerius Maximus lib. 9. cap. 3. addens: Dictum graviter, & meritò; sed tamen aliquantò melius non dictum. Nam quis, inquit, populo Romano irasci sapienter potest?

P. RUTILIUS RUFUS] Vir doctus, & Græcis literis eruditus, Panætii Stoicorum principis auditor, propè perfectus in Stoicis, auctore Cicerone in *Bruto, & lib. 3. de Offic.* Summè innocens cùm esset, in exilium tamen injustè missus damnatusq; ab equitibus, in eo perseveravit: laudatus præter alios Ciceroni in *ea oratione, qua* invehitur in Pisonem, & *in C. Rabirii Posthumi defensione: itemq; Senecæ lib. 5. de benef. c. 17. & lib. 6. c. 37. epist. 24. 67. 79. de Provid. cap. 3. Consol. ad Marc. c. 21. de vita beata cap. 18. De tranquillitate animi cap. 15.* De ejus dicendi genere, tristi & severo, Tullius in Bruto, cum hoc insuper elogio, & *multâ opera & multâ industriâ Rutilium fuisse, quæ erat propterea gratior, quòd idem magnum munus de jure respondendi sustinebat.* De jure utiq; multa præclara scripsit: atq; in Pandectis frequenter citatur. Mitylenis deprehensum à Mithridate, crudelitatem regiam in omnes togatos vestis mutatione fugisse, hominemq; Consularem soccos palliumq; gestâsse, temporis ita ratione poscente, in eadem Rabiriana defensione tradit Cicero.

Q. ÆLIUS TUBERO] L. Pauli nepos, P. Africanum avunculum hic habuit, nullo in oratorum (ita scribente Cicerone in Bruto) numero, sed vita severus, & congruens cum ea disciplina, quam colebat, paullò etiam durior. De eodem sic Crassus tertio de Oratore: *Dies & noctes virum summa virtute & prudentia videbamus, cùm Philosopho operam daret, Q. Tuberonem. Stoicum & doctissimum in disputando fuisse dicit idem Cicero.* Audiverat namq; Panætium: qui & plura ad illum dicitur scripsisse. Unde quidem, cùm Pomponius ait auditorem fuisse *Pansæ:* Cujacius, Zasius, Corasius, Muretus, *Panætii* legendum censent. Quod & Eberlino placet cap. 39. n. 14. Scientiâ juris majoribus suis non defuisse, doctrinâ etiam superfuisse, Tullius in libro de jure civili in artem redigendo scriptum reliquit. Quo quidem in loco Agellius *l. 1. c. 22.* Tò *superfuit*, sic interpretatur: ut significet, *suprà fuit, præstitit, superaritq; majores suos doctrinâ suâ superfluenti & nimis abundanti.* Disciplinas enim Tuberonem Stoicas & dialecticas percalluisse. Consulem fuisse Pomponii confirmat autoritas: quamvis in Consulum catalogo minimè repe-riatur. Præturâ quidem dejectum innuit Ci-cero. Nam cum Q. Maximus Africani junioris nomine epulum populo daret, rogavit Tuberonem, triclinium ut sterneret: qui pelliculis hœdinis lectos stravit vilissimos, Samiaq; appo-

suit

ſuit vaſa, ac ſi Diogenes Cynicus, non Africanus divinus homo mortuus eſſet: quem cùm Quinctus Max. pro roſtris de more laudaret, gratias egit diis immortalibus, quòd Romæ natus eſſet Scipio. Dicebat enim ibi terrarum orbis imperium eſſe, ubi natus ille fuiſſet. Itaq; repulſam præturæ tulit. Oderat enim populus Romanus privatam luxuriam: publicam magnificentiam diligebat. *Vid. Ciceron. pro Muræna: Valer. lib. 7. c. 5.* Seneca *epiſtola XCV. Tuberonis ligneos lectulos, cùm in publico ſternerentur, hædinasq́; pro ſtragulis pelles, & ante ipſius Jovis cellam propoſita convivis vaſa fictilia: quid aliud eſt, paupertatem in Capitolio conſecrare? Ut nullum aliud factum ejus habeam, quo illum Catonibus inſeram, hoc parum credimus? Cenſura fuit illa, non cœna.* Epiſtola XCIIX. *Tubero paupertatem & ſe dignam & Capitolio judicavit, cùm fictilibus in cœnâ uſus, oſtendit, debere his hominem eſſe contentum, quibus dei etiamnunc uterentur.* Epiſtola CIV. *Cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone: quod ſi convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone verſare: Alter docebit te mori, ſi neceſſe, alter, antequam neceſſe erit. Vive cum Chryſippo, cum Poſidonio. Hi tibi tradent divinorum humanorumq́; notitiam &c.* Meminit & ejusdem epiſtola CXX.

PAULLUS VERGINEUS] Muretus de hoc nihil uſquam alibi traditum inquit, putatq́; Pomponio nomen eſſe depravatum. Ven-

tura Cæcus A. Verginium existimat legendum.

SEXTUS POMPEJUS] Cnei Pompeji patruum fuisse, Pomponius asserit: sed ubi tamen Zasius, *frater*, legit: quod & Eberlinus c. 39, n. 16. approbat, ac veritati admodùm consentaneum est. Nec aliter Tullius ipse in Bruto: cum hoc præterea elogio: quòd præstantissimum ingenium contulerit ad summam juris civilis, & ad perfectam Geometriæ & rerum Stoicarum scientiam.

L. CÆLIUS ANTIPATER] Scriptor, ait de claris Oratoribus Cicero, *ut temporibus illis, luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi magister.* Historiæ majorem, quàm superiores, vocis sonum addidit. *Cicer. de legib. 1. & de Orat. 2.* Eloquentiæ majorem etiam, quàm juris scientiæ, teste Pomponio, operam dedit: quia id tum temporis honoratius habebatur. *Cic. pro Murena.* Valentinus Forsterus eum ipsum esse Cælium putat, quem Oratores inter recenset Quinctilianus, hisce verbis depingens: *Multum ingenii in Cælio, & ei præcipuè in accusando, multa urbanitas, dignusq; vir, cui & mens melior & vita longior contigisset. Inveni, qui Cælium præferrent omnibus; inveni, qui Ciceroni crederent, eum nimiá contra se calumniá sanguinē perdidisse. Sed est & sancta & gravis oratio, & castigata, & frequenter vehemens quoq;. Imitator autem est Atticorum, fecitq; illi properata mors inju-*

juriā, si quid adjecturus, nō si quid detracturus fuit.

CAQVILIUS GALLUS] Non ex recentiore illa, sed ex vetere Gallorum familia nobilis & eques Romanus fuit, collega Ciceronis in prætura, ut auctor hic est pro Cluentio. Vixit cum eodem familiariter: id quod ex *Topicis & lib. 3. Officior.* colligere licet. Hunc idem Cicero *lib. de claris Oratoribus* acutum & exercitatum fuisse hominem, promptamq; & paratam in agendo & respondendo celeritatē habuisse tradit. In Oratione autem *pro Cæcinâ* eo nomine laudat: quòd juris civilis rationem nunquam ab æquitate sejunxerit, quodq; ita peritus ac prudens esset, ut ex jure civili, non scientia solùm quædam, verùm etiam bonitas nata videretur. Inventa & probata ab eo est de dolo malo formula: ut & formula de postumis heredibus instituendis, nec non stipulatio Aquiliana. Interrogatus, quidnā esset dolus malus, cùm aliud agitur, aliud simulatur, respondit. Sed cujus tamen definitionis, quæ nec Tullio displicuit, latens vitium cùm suboleret Serv. Sulpitius (siquidē in bono quoq; dolo aliud agitur, aliud simulatur, potestq; fieri, ut urbanè aliud agamus, aliud simulemus) hæc verba adjecit, *alterius decipiendi causâ.* Quamvis dicere possimus, ea ipsa verba, nequaquam voluisse Aquilium excludere: sed potiùs modis omnibus subintelligi ac præsupponi: idcircò autē ea expressè nō posuisse, quòd satis obvia cujuslibet intellectui ea esse viderentur, simul atq; audierit quis dolū malum nominari. Nā qui

dolum malum committit, is non facit aliquid, quod alteri prosit, sed potiùs, ut ei incommodet ac noceat, suâ deceptione ac machinatione. Paullus certè (quo tamen non facilè quisquam ex Jureconsultis accuratior esse solet) *lib. 1. sent. tit. 8.* non aliter definit, quàm Aquilius. *Dolus malus*, inquit, *est, cùm aliud agitur, aliud simulatur.* Quò & facit insignis locus S. Augustini tract. 7. in Johannem: *Dolus fraus est, simulatio est. Quando aliquis aliud in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est, & tanquam duo corda habet, & omnis, qui verba Latina intelligit, scit, quia dolus est, cùm aliud agitur, & aliud fingitur. Cunr. Rittersh. comment. ad l. XXIII. de Regul. jur. protheoria cap. 4. §. Sed jam tempus est.* Plura de Aquilii laudibus Cicero *pro Cæcinna* & Valerius Maximus *l. 8. c. 2.* Alius ab eo Ælius Gallus, qui de significatione Verborum, quæ ad jus civile pertinent, scripsit. Librum secundum citat Macrobius *lib. 6. Saturn. c. 8.* sed sub nomine Cæcilii Galli.

LUCILIUS BALBUS] Summus & ipse Stoicus, vir eruditus ac peritissimus, Servii Sulpitii in jure civili magister: cujus Cicero in Bruto, & octavo ad Atticum meminit. Frater ejus, qui disputat in libr. 5. de naturâ deorum.

GN. AUFIDIUS C.] Inter juris peritos à Cicerone ponitur: & quamvis cæcus esset, in Senatu tamen sententiam dixit, cùm esset præto-

torius, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiam, & videbat in literis. Videatur Cicero *pro Demetrio*, *pro Flacco*; itemq; *V. Tuscul. quæst. cap. 38.* ubi & alia hujusmodi cæcorum exempla. Qualem quidem nostra quoq; ætas Comitem de Linar. admirata est.

C. JUVENTIUS] Corasius T. Juventium esse putat, quem Cicero in Bruto magnâ juris intelligentiâ præditum fuisse ait: lentum quidem in docendo ac penè frigidum, sed & callidum, & in capiendo adversario versutum. Sed tempora vix conveniunt.

P. SERVIUS SULPITIUS] Servius Sulpitius suæ ætatis & Jureconsultus & orator præstantissimus fuit: quem Cicero diversis in locis velut veri & perfecti politici vivam imaginem depingit: Philippicâ cumprimis nonâ admirabilem ejus & incredibilem ac penè divinam in legibus interpretandis, æquitate explicandâ scientiam adeò extollens: ut scribere non vereatur, quod omnes JCti, qui ex omni ætate juris intelligentiam habuerint, in unum locum collati cum hoc solo Servio Sulpitio comparari nequeant. Libro de claris oratoribus ipsi etiam Q. Scævolæ hoc præsertim nomine anteponit, quòd eam didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm videre, deindè distin-

gvere, postremo habere regulam, quâ vera & falsa judicarentur, & quæ quibus positis essent, quæq; non essent consequentia. Attulisse enim eum hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea, quæ confusè ab aliis aut respondebantur, aut agebantur: adjunctâ insuper & litterarum scientiâ & loquendi elegantiâ: cumq; discendi causâ duobus peritissimis operam navasset, L. Lucilio Balbo & C. Aquilio Gallo: Galli hominis acuti & exercitati promptam & paratam in agendo & respondendo celeritatem subtilitate diligentiaq; superâsse: Balbi docti atq; eruditi hominis in utraq; re consideratam tarditatem vicisse expediendis conficiendisq; rebus: sic & habere, quod uterq; eorum habebat, & explevisse, quod utriq; defuit. Itaq; ut Crassus videatur sapientiùs fecisse, quàm Scævola: (hic enim caussas studiosè recipiebat, in quibus à Crasso superabatur; ille se consuli volebat, ne quâ in re inferior esset, quàm Scævola) sic Servium sapientissimè. Cùm enim duæ civiles artes ac forenses plurimum & laudis haberent & gratiæ, perfecisse, ut alterâ præstaret omnibus; ex alterâ tantum assumeret, quantum ei esset & ad tuendum jus Civile, & ad obtinendam Consularem dignitatem satis. Studium virtutis in eo vel maximè apparuit: quòd Q. Mutii Scævolæ admonitionem ægrè non tulerit: sed eâ stimulatus recto cursu ad veram juris scientiam contenderit. Utinam vero

rò Scævola quidam (ſic enim cum Lindemanno optare liceat) hodieq; exſurgat: qui rabulas foriq; tintinnabula acriori cenſurâ perſtringeret, & à tribunalibus ad Scholas jus excultum remitteret! Cæterum Servius non conſulentibus tantùm & clientibus vacavit: ſed & Reip. munera, nimirùm Quæſturam & Præturam obiit: turbatâ Republ. authore Senatu interrex creatus: ac deinde Conſul factus anno Urbis 702. cum M. Marcello: quo in conſulatu ſemina jacta ſunt civilium bellorum. Servius tamen (uti in nonnullis ad eum epiſtolis Cicero ſignificare videtur) egregium concordiæ civium propugnatorem egit. Deinceps à Cæſare Dictatore Græciæ præfectus, optimam ſui memoriam reliquit provincialibus. Extincto verò Cæſare, cum Mutinam obſideret Antonius, quam Decius Brutus propugnabat, tres legati à Senatu miſſi ſunt ad Antonium à propoſito Reip. noxio avertendum: in queîs erat Servius Sulpitius. Qui licet adfectâ ætate, valetudine adhæc infirmâ, legationem tamen, amore patriæ prævalente, ſubiit: infirmitate autem accreſcente, paullò antè, quàm perveniret ad Antonium, laudabiliter deceſſit: ſtatuamq; pedeſtrem æneam, curante Cicerone, etſi multis obnitentibus, meruit. Reliquit libros propè centum & octoginta: quorum plures Cercinæ confectos Pomponius teſtatur. Inſula ea eſt propè Africâ,

in quâ delituisse Marium Plutarchus autor est. Sed quia neq; Aquilium Gallum, à quo maximè instructus noster, sicut institutus à Balbo Lucilio, neq; Sulpitium ibi versatum constat, Corasius & Muretus Cecinnæ legunt, quod opidum est in Hetruriâ, cujus meminit Plinius lib. 3. c. 5. & Mela lib. 2. Verùm Florentinam lectionem, quæ & communis est, Cujacius retineri vult omninò: cum quo & sentit Forsterus filius. Fuit Sulpitius Athenis, fuit apud Rhodios: nec igitur vero absimile, fuisse etiam in insulâ Siciliæ vicinâ. XII. tabulas interpretatum fuisse satis apparet ex citationibus Festi. Servianam doli mali definitionem pro eâ, quâ præditus fuit, plurimarum rerum innovandarum aviditate, Antistius Labeo reprehendere non dubitavit. Sed quàm id nullo jure, à magnis viris satis superq; dëmonstratum. Adi *Freher. lib. 2. parerg. c. 12. Paul. Buf. lib. 1. subtil. cap. 19. Dom. Arum. tr. de morâ c. 2. n. 14. Rittershus. ad l. 23. de reg. jur. in protheor. cap. 4. Christ. Besold. in delibatis juris ad lib. 4. Pandect. tit. 3.*

C. TREBATIUS TESTA] Insigni dignitate inter optimates suæ ætatis præditus, M. Tullio, nec non Lyricorum poëtarum principi maximè familiaris fuit: id quod ille & crebris epistolis, & topicorum volumine ad eum misso, hic verò Satyrâ ad eundem scriptâ, quæ legitur lib. 2. Sermonum ostendit. Commendatur à

Pom-

Pomponio, quòd ultra Quæsturam honores delatos repudiârit: quippe qui sciret, nihil esse durabilius, quàm quod nec excessu superbiret, nec defectu insorduisset. Juri, quàm eloquentiæ, majorem operam navavit. Scripta ejus, (inter quæ Religionum Libri novem) ob stylum incultum ac præceps judicium rariùs frequentabantur. Undè Cicero Trebatium, quamvis aliàs amicissimum sibi, imprudentiæ redarguit. Cum enim in convivio controversia hæcce tractaretur, possetnè de furto ante aditam hæreditatem commisso heres agere, & Trebatius præcipitanter respondisset, neminem id sensisse, Cicero verò in continenti Brutum Manilium, & Sext. Ælium id sensisse probâsset, ipsi ruborem incussit. Nec aliorsum traxerim illa Horatii

— — nisi quid tu docte Trebati
Dissentis. equidem nihil heic diffindere possum.
Sed tamen ut monitus caveas, ne fortè negocii
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum.

Pomponius ipse libros ejus non frequentari scribit, cujus rei argumentum esse videtur: quòd in Pandectis ejus sententias sæpiusculè reprobatas legimus. Neq; tamen parùm ad Trebatii laudem facit: quòd non modò Ciceronis commendatione in intimam Cæsaris pervenit familiaritatem, sed & apud Augustum non minimum tenuit locum. Ejus certè potissimùm svasu Codicillorum usum ab Augusto receptum esse Justinianus ipsemet annotavit in Instit. tit. de Codicillis.

Au-

AULUS OFFILIUS] Equestri familiâ natus Offilius, Pomponio teste, Servii discipulus, Cæsariq; familiarissimus fuit. Libros de jure reliquit plurimos, & qui omnem partem juris fundarent. Præ cæteris commendatur liber de *jurisdictione*, ac liber de *legibus vicensimæ*: ubi quidem pleriq; vigesimam intelligunt hereditatis, Zasius, Corasius, Muretus, alii. Sed vero similius est, ut cum Hotomanno, Gothofredo & Eberlino dicamus intelligi vicesimas, quæ iis, qui manumittebantur, erant indictæ. De his ergò primus scripsit Offilius: ut & primus omnium edictum prætoris diligenter composuit. Meminit ejus Cicero *libro epist. famil. 7. & 16. ad Atticum 13.*

AULUS CASCELIUS] Aulus Cascellius, vel, si mavis, Ceselius, Eques Romanus, Quinti Mucii & Volcatii auditor, æqualis Trebatii & Offilii, maximus suà ætate Jureconsultus, ac juris prædiatorii peritissimus fuit, teste Scævolâ apud Valerium Maximum *lib. 8. c. 13.* Trebatium tamen Cascellio peritiorem, Cascellium Trebatio eloquentiorem, Offilium utroq; doctiorem fuisse Pomponius tradit. Hunc Cascellium Quintilianus venustum, Macrobius autem *lib. 2. Saturn. c. 6.* urbanitatis miræ libertatisq; habitum fuisse dicit. Meminit ejusdem Horatius

nec

— — *nec scit, quantum Cascellius Aulus.*

Plinius lib. 8. c. 10. *Apud nos Volcatium nobilem, qui Ceselium jus civile docuit, asturcone è suburbano redeuntem, cum advesperavisset, canis à grassatore defendit.* Valerius Maximus lib. 6. c. 2. *Age, Ceselius vir juris scientiâ clarus quàm periculosè contumax? nullus enim aut gratiâ aut auctoritate compelli potuit, ut de aliquâ earum rerum, quas triumviri dederant, formulam componeret: hoc animi judicio victoriæ eorum beneficia extra ordinem legum ponens,* hoc est, uti interpretatur Ravardus de authorit. Jurisprud. cap. 2. declarans beneficia hujusmodi à tyrannis potiùs quàm à principibus justis collata, & ob id extra omnem legum ordinem ponenda. Idem cùm multa de temporibus Cæsaris liberiùs loqueretur, amiciq; ne id faceret, monerent: duas res, quæ hominibus amarissimæ videntur, magnam sibi licentiam præbere respondit, senectutem & orbitatem. Ammianus Marcellinus historiar. lib. XXX. Hi, *ut altiùs videantur jura callere, Trebatium loqvuntur & Casellium, & Alfenum, & Auruncanorum Sicanorumq; jam diu leges ignotas, cum Evandri matre abhinc seculis obrutas multis.* Scripsit, ut habet Agell. *lib. 2. c. 16.* commentarium lectionũ antiquarum: Benedictorum item, Pomponio teste, librũ unum. ἀποφθέγματα ea possis vocare, ut illa à Catone col-

lecta,

lecta, quorum meminit Tullius 1. Offic. In hunc conjecisse eum, ut brevia & rotunda quædam, ita arguta & intra pomærium nata responsa, quæ consultoribus dederat, aut etiam è renatâ obiter cum applausu protulerat, existimat Freherus. Ea igitur benedicta nominavit, ut cata dicta Varro, & bona dicta Tullius: è quorum numero fuisse videntur, quæ Macrobius nobis loco allegato conservavit. Vide *Freher. lib. 1. parerg. cap. 3.*

Q. ÆLIUS TUBERO] L. Tuberone patre nobili & patricio natus, alius à Tuberone Stoico Offilio operam dedit, juris publici & privati doctissimus: complurium etiam librorum scriptor: sed qui minùs grati ob affectatum & antiqvum scribendi genus. Hic est ille Tubero: qui cum in causså contra Q. Ligarium Ciceronis facundiâ se victum, atq; adeò patrociniis se non natum esse animadverteret, ab usu forensi ad professionem juris civilis se convertit: transfugio utiq; haudquaquam inhonesto, & quod in mentem mihi revocat illud Symmachianum: *Scis nempè in illo forensi pulvere, quàm rara cognitio sit facundi oris, & boni pectoris: dùm aut modestum ingenium verecundia contrahit, aut successu eloquens insolescit.*

CAJUS] Numerat & hunc inter Servii discipulos Pomponius. Cui si fides habenda, alius fuerit oportet à Cajo illo, cujus Justinia-

nus meminit, authore Institutionum, quæ sub Caji nomine circumferuntur. Ex hujus certè libro singulari Regularum est *l. XXI. de ff adopt.* quæ ait, *etiam fœminas rescripto Principis adrogari posse.* Atqui adrogationem ex indulgentiâ Principis non esse juris antiqui, aut temporibus Servii auditorum recepti, sed novitii & introducti à Diocletiano, aut non multùm antiquiore aliquo Principe, patet ex *l. 2 C. eod.* Et verò plures Cajos fuisse res trita est: nec ignotum adeò Caji cujusdam etiam ab Agellio *lib. 11. c. 17.* mentionem fieri, ejusdemq; laudari Librum de origine vocabulorum septimum.

T. CÆSIUS] De Titio Cæsio, quem & ipsum Servii discipulis accenset Pomponius, nihil certi proditum reperitur. Refert inter oratores Marc. & Sext. Cæsios Cicero, sed quod ad hunc nostrum nihil pertineat. Nonnulli legunt *T. Celsus*: sed malè.

AUFFIDIUS TUCCA & NAMUSA] Auffidiorum Sulpitii auditorum apud Pomponium, & alibi in jure reperitur mentio. Pro *Tucca* alii habent *Sura*. Sed illud rectius. Namusa, qui condiscipulorum suorum scripta in libro 140. digessit, nonnullis *Manusa* dicitur. Sed Namusa bis apud Pomponium legitur, & apud Paullum in l. 2. §. apud Namusam 6. ff. de aq. & aq. pluv. arc.

CINNA] Zasius apud Pomponium legit *Patercinna.* Alius *Cecinna.* Corasius, *Cn. Cinna.* Sed cum Eberlino Forsterus filius arbitratur, Antistium Labeonem patrem, ut secernatur ab Antistio Labeone filio, *Cinnam* fuisse nuncupatum, atq; nomine *Cinna* Labeonem patrem significari l. 6. ff. de rit. nupt. l. 4. §. 1. ff. de condit. & demonstr.

PUBL. COECILIUS] In Pandectis Florentinis legitur *Publicius Gellius.* Eodem cum cæteris Præceptore Servio clarus fuit, nec desunt, qui ejus mentionem apud Macrobium *lib. 2. c. 7.* fieri putant. Hotomannus, *Publicola Gellius,* legendum censet. Ut sit L. Gellius Publicola, de quo Cicero in Bruto meminit, quemq; omnibus honoribus ad Censuram usq; functum esse Valerius Maximus lib. 5. c. 9. annotavit.

SALPITIUS GALBA] Magnâ & vetere oriundus hic prosapiâ; de cujus nobilitate Svetonius in Galbâ Imper. c. 2. Abavum nimirùm habuit, qui familiam maximè illustravit, Serv. Galbam Consularem, temporum suorum non eloquentissimum duntaxat, sed & Appiano teste πλουσιώτατον: quem tradunt Hispaniam ex præturâ obtinentem, XXX. Lusitanorum millibus (septem millia habet Valerius Maximus, ut vel apud hunc vel apud Svetonium mendam esse

ſe oporteat) perfidiâ trucidatis, Viriatini belli cauſſam exſtitiſſe. Avum, qui ob repulſam Conſulatus infenſus Julio Cæſari, cujus legatus in Galliâ fuerat, conſpiravit cum Casſio & Bruto; propter quod Pediâ lege damnatus eſt. Patrem clariorem ſtudiis, quàm dignitate: non enim egreſſus præturæ gradum, multiplicem nec incurioſam hiſtoriam edidit. Pater ipſe ex Mummiâ Achaicâ, nepote Q. Catuli, pronepte L. Mummii, qui Corinthum excidit, Servii Sulpitii Galbæ Cæſaris: de quo Tacitus lib. 1. hiſtoriarum prodidit, majorem privato viſum, cùm privatus fuit, & omnium conſenſu capacem imperii, niſi imperaſſet. Ut hoc quoq; exemplo verum eſſe diſcamus illud Biantis: ut aurum igne, aut lapide Lydio, ſic ingenia moresq; hominum magiſtratibus ac poteſtatibus explorari & patefieri. Nec enim de cujusquam hominis naturâ, quæ multis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur, ſatis certò judicari poteſt, dum privatus eſt: ſed tùm demùm, cum poteſtatem eam nactus eſt, ut omnia more ac modo ſuo facere audeat. Sed ad patrem ut revertar, conſulatu functum quàm brevi corpore, atq; etiam gibberum, modicæq; in dicendo facultatis cauſſas induſtriè actitâſſe ſcribit d. l. Svetonius: eloquentiâ clarum fuiſſe Macrobius: ſed quã habitus corporis, gibbo informis, de-

struebat. Cui ob id agenti apud se caussam, & frequenter dicenti, corrige in me, si quid reprehendis, festivè Augustus Imperator respondit: *Ego te monere possum, corrigere non possum.* Circumlata & in eum M. Lollii vox: *Ingenium Galbæ malè habitat.* Quin & in eundem Orbilius Grammaticus acerbiùs irrisit. Prodierat Orbilius in reum testis: quem Galba ut confunderet, dissimulatâ ejus professione, interrogavit, *Quid artium facis?* respondit: *In Sole gibberos fricare soleo.* Macrob. *lib.2. Saturn. cap. n.6.* Pertinent deniq; ad hunc ipsum illa Horatii lib. 1. Sermonum Satyr. 2.

— — quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes, caudamq; salacem
Demeteret ferrum, jure omnes. Galba negabat.

Ubi quidem Lyricorum Princeps Jureconsultum adulteros defendentem, ex sententiâ Acronis, amarè perstringit, quia & ipse matronarum sectator esset. Vide & Porphyrionem ad eundem locum. Hujusne porrò familiæ fuerit Galba ille, qui lenocinans Mecænati, quem in suam uxorem exarsisse viderat, *non omnibus se dormire dixit*, quam rem Dio & Plutarchus in ἐρωτικῷ narrant, alii viderint.

ANTISTIUS LABEO, pater & filius] Fuerunt hi reliquis prudentioribus celebriores. Pater bellis quoq; clarus: qui partes Pompejanas semper sequutus, cum sese C. Julii Cæsaris interfectoribus adjunxisset, in Pharsalicâ pu-

pugnâ se victum videns, à servo fidissimo occidi, quàm hostibus dedi maluit. Videre de eo licet Ciceronem in Bruto, & Appianum libro belli civilis primo. Filii meminit Agellius *lib. 13. cap. 12.* Svetonius in Augusto. Juris Pontificalis & Sacerdotalis peritissimum fuisse prædicat B. Augustinus *de Civit. DEI lib. 2. c. 11.* ab eoq; Platonem inter semideos collocatum, ut Herculem, ut Romulum refert *cap. 14.* Atq; indè nati, quos de verbis pontificalibus scripsit, libri sexaginta octo. Menses illos sex, quos conscribendis libris dedisse refertur, hibernos fuisse ostendit Freher. *lib. 1. parerg. c. 20.* Petronius Arbiter in eruditissimo epigrammate

Jurisconsultus PARET, NON PARET, habeto,
Atq; esto, quicquid SERVIUS & LABEO.

Sed patremne ibi an filium intelligat incertum.

C. ATTEIUS CAPITO] Avo Centurione Syllano, patre prætorio genitus, excellenti juris utriusq; cognitione floruit, si Cornel. Tacito, Macrobio & Agellio credimus: quorum ille *humani diviniq; juris scientem, ac principem in civitate locum studiis civilibus adsecutum*; iste *Pontificii juris inter primos peritum*, hic verò *juris privati & publici peritissimum* fuisse scribit *Tac. 3. annal. Macrob. lib. 7. Saturn. c. 13. Agellius*

In his, quæ ei tradita fuerant, pertinaciter perseverare solitum Pomponius auctor est. Un-

dè colligere licet, illum in sententiâ A. Ofilii, quem secutus erat, eodem Pomponio teste, & sub quo profecerat, non facilè discessisse. Et si alius in rebus judicio suo usum indè adpareat, quod libros Conjectaneos scripserit, qui citantur à Nonio in Siticines, σύγχρονος ejus fuit Labeo: qui *duo decora pacis* appellantur à Tacito: cæterum genio & ingenio adeò contrarii: ut exemplar duorum consulto & ex proposito dissidentium esse possint: adeoq; etiam sectis duabus occasionem præbuerint. Capito & obsequiosus erat & ambitiosus: ob idq; Cæsari adsentans, ad Consulatum, quem cum eo gessit anno ab urbe conditâ 746. & ad curatelam aquarum erectus est. *Tacit. lib. 3.* Labeo contra homo liberrimi oris & judicii, gratiæ veritatem prætulit: honores non ambiit, sed intra præturam substitit: imò sublimiorem dignitatem delatam repudiavit: & sic famâ celebratior fuit. Capito acerrimus, uti dictum, defensor fuit traditorum à præceptoribus. Labeo verò liberrimus censor, adjutus Philosophiæ adminiculis veritatem accuratiùs indagavit: multaq; innovare visus fuit. Adeò nimirum in Jureconsultis quoq; valet illud Catonianum: *Posse esse summos, qui inter se sunt dissimiles.* Nihil enim tàm dissimile, quàm Capito Labeoni: & uterq; æqualibus suis plurimùm præstitit. Scripsit Capito, præter ducentos sexaginta collectaneorum, septemq; de Ponti-

tificio jure libros, de jure sacrificiorum decem, singularem de Officio Senatorio, commentarium ad XII. tabulas, & alia, quæ passim citantur. De anulorum origine, & ad eam cumprimis quæstionem, cur sinistræ manus digitus, qui minimo est proximus, judicatus sit anulo gestando aptissimus, quædam ex Capitone Macrobius refert, per te in eo legenda.

M. COCCEJUS NERVA Pater & Filius] Utriusq; Nervæ, & patris, & filii, creberrima in libris nostris mentio. Consulem illum fuisse, Vespasiani Imperatoris collegam, anno Christi LXXIII. nec non curatorem aquarum (quod munus præcipuis in urbe viris committi solebat) apparet ex Julio Frontino *lib. 2. de aquæduct.* Labeonis sectæ addictus, dissensiones cum Capitonis successoribus adauxit. Cumq; omnis tàm divini quàm humani juris sciens, eoq; nomine passim illustris esset: in internam Tiberii familiaritatem receptus fuit. Sed cujus tandem impatiens, Cæsare quippe cuncta tyrannide & libidine implente, vitæ pertæsus, pro more per illa tempora vigente, integro statu, corpore illæso, moriendi consilium iniit. Et Tiberius quidē licet precibus continuis, ne tale quid tentare vellet, instaret, tamen is in conceptâ sententiâ persistens, inediâ vitam finiit. Hic nimirū Stoicæ doctrinæ, tunc maximè

florentis fructus: inter cujus decreta fuisse, sapientem sibi non modò posse, sed & debere, aliquando mortem consciscere ostendit J. Lipsius *lib. 3. manud. ad Stoic. Philosoph. c. 22.* Catonis utiq; factum, mortem sibi inferentis, ne in manus veniret Cæsaris, ab ipso Cicerone (qui tamen eo stomacho fuit, ut tyrannum ferret) miris prædicatur laudibus: quemadmodum & à plerisq; gentilibus, qui putârunt viri fortis & magnanimi esse, malle sibi adferre manum, quàm videre libertatem pessum dejici, & Rempub. pro libidine nefariorum civium improbè vexari. Attamen non modò illis, qui sub Christi militant vexillo, sed multis quoq; τοῖς ἔξωθεν (ita seculi paganos Græci appellant Theologi) factum hoc majori jure displicuit. Siquidem viro forti rebus adversis, juxta Furium veterem poëtam,

Increscunt animi; virescit vulnere virtus.

atq; ut ait Martialis,

Rebus in angustiis facile est contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Solida profectò, non mercenaria fortitudo cominùs gaudet fortunæ ire obviam, eiq; vincula ac compedes injicit: nec quicquam magis ejus repugnat naturæ, quam ut vitam quis suam interimat, quia nequeat perferre infortunia: quæ etiam sententia est Aristotelis *lib. 3. Nicomach.* Euripidis *in Hercule Furente*, nec non Galeni περὶ ... πονθέτων τόπων: eò magis amplectenda, quòd

quòd non recta duntaxat ratio dictat, vitam, quæ fundamentum est omnium bonorum temporalium & æternorum occasio, pluris esse, quàm libertatem; sed & DEUS ipse pro beneficio imputat, quòd non perdat homines, sed in servitutem tradat. *2. Paral. 12. v. 78.* Et alibi svadet per Prophetam Hebræis, ut sese Babyloniis in servitutem dedant, ne fame ac peste moriantur. *Jerem. 27. v. 13.* Vide Josephum *lib. 3. exscidii Hierosolymitani*, Augustinum *lib. 1. de Civit. Dei. cap. 23.* Lactantium *lib. de falsâ sapientiâ cap. 18.* & inter recentiores Ger. Vossium *Instit. Orat. lib. 1. cap. 5. p. mihi 188. & seq.* Hug. Grotium *de jure belli ac pac. lib. 2. cap. 24. n. 6.*

Nerva filius ejusdem cum patre professionis & sectæ anno ætatis XVII. aut paulò major, publicè de jure responsitavit, Ulpiano teste in *l. 1. ff. de postul.* Scripsit de usucapionibus. Ab eodem ortum traxit Nerva Imperator: qui laudabiliter quidem, sed non toto biennio imperium tenuit.

MASURIUS SABINUS] Athenæi Deipnosophistorum liber quintus nihil ferè aliud nisi Masurii Jureconsulti, viri longè doctissimi sermones continet: libro autem decimo quarto hoc ei tribuitur elogium, Μασούριος ὁ πάντα ἄριστος, καὶ σοφὸς, καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος, καὶ περὶ μουσικὴν ἐνδιατρίβων ἀεί. ἀπτεται γὰρ καὶ τῶν ὀργάνων. Quod ita vertit Jacobus Dalechamprus: *Masurius vir longè optimus & sapiens,*

piens, qui & interpres legum fuit nulli secundus, musicis assiduam operam navavit, instrumentaq; artis ejus tractavit feliciter. Meminit ejusdem Aul. Persius Satyricus, cum inquit:

Cur mihi non liceat, jussit quaecunq; voluntas?
Excepto, si quid Masuri rubrica notavit.

Versus sanè elegantissimi: qui ut commodissimè adhiberi possunt illustrandæ libertatis definitioni, quam Justinianus naturalem ait esse facultatem ejus, quod cuiq; facere libet, nisi quid vi aut jure prohibetur: sic abundè ostendunt, quantæ eum autoritatis fuisse oporteat, qui præ cæteris omnibus legum conditoribus nominari meruit. Is autem alius esse non potest, quam Masurius Sabinus, summus ille Jureconsultus, Capitonis in disciplinâ successor, Coccei Nervæ æmulus, de quo Pomponius scriptum reliquit, quòd sine divitiis in ordinem Equestrem cooptatus, jus in paupertate docuerit, à discipulis suis plurimum sustentatus fuerit, & publicâ authoritate de jure respondendi à Tiberio Cæsare potestatem acceperit, postequam nimirùm cœpit hoc beneficium à principibus dari, ante Augusti tempora adeò incognitum: ut qui fiduciam suorum studiorum haberent, consulentibus, aut ambulantes transverso foro, aut

domi

domi, in solio, hoc est, honorabili sellâ considentes, respondere possent. Primus igitur Augustus, ut major juris auctoritas haberetur, constituit: ut ex auctoritate principali responderent: atq; adeò, ut tum signata responsa darentur, effecit. Id quod hanc videtur Revardo habuisse sententiam: ut Jureconsulti jus respondendi Principis beneficio nacti, non à populo solùm, sed ab ipsis etiam judicibus consulerentur: & à populo quidem consulti certam pronunciarent juris definitionem; à judicibus verò, non quicquam pronunciarent, sed libello, quidnam de jure sentirent, complecterentur, eumq; libellum signatum offerrent judicibus. Ideò signatum, ne posset à litigatoribus legi. Nec id adeò mirum, præsertim cum scripserit expressè Justinianus, tantam olim fuisse Jurisconsultorum auctoritatem, ut judicibus eos consulentibus, à responsis eorundem recedere non liceret. §. *responsa Instit. de jur. nat. gent. & civ.* nimirùm iis temporibus, quibus ex auctoritate Principis hujusmodi responsa dabantur. *Vide Ravard. de auctor. prud. cap. 14.* Atenimverò cum Principes commendatione aulicorum potestatem hujusmodi haut rarò non satis exercitatis concederent, ac judices publicæ auctoritatis prætextu seducerentur, eamq; rē Hadrian. animadverteret, pulchrius esse existimans, respondendi munus promeruisse, quā obtinuis-

se,

se, jurisperitis petentibus, ut sibi de jure respondere liceret, hoc munus *non peti solere, sed præstari* rescripsit, id est, non tantùm precibus impetrari, sed facto ipso promereri debere. Hæc enim vera est hujus loci sententia, in collatione potestatis, facti præstationem, hoc est, eruditionis probationem requiri: uti eleganter ostendit Lindemannus. Scripta Sabini nominat Forsterus libros Memorabilium duodecim, juris civilis tres centurias, de Indigenis, & librum, cui titulus de furtis.

C. CASSIUS LONGINUS] In studio juris Masurii Sabini successor, natus est è patricià Cassiorum familiâ, Tuberonemq; Jureconsultum avum, Sulpitium Severum pravum maternos habuit. Quam quidem natalium ejus seriem quòd tàm operosè collegit Pomponius, haut mediocre argumentum Zasio videtur, splendidis eos ornari majoribus, qui à Jureconsultis nascerentur: ut non injuriâ Doctorum liberi (si modò parentes & doctrinâ & integritate sint illustres) sangvinis seriem cum gloriâ recensere possint. Quod & ipsum notandum putat contra nobiles, qui cùm frequenter legali scientiæ operam dederent, nomen tamen Doctoris fastidiunt: cum tamen legalis doctrina lumen nobilitati magno intervallo præluceat. Tiberii temporibus consulatum noster gessit cum M. Vinitio Quartino A. C. XXXII. quem Vellejus Paterculus notat incidisse in annum

U. C.

U. C. 782. sub Claudio deindè Syriæ præfecturam meruit: insuper & militarem disciplinam ad priscum modum revocavit, & legiones non secùs, ac si hostis ingrueret, exercuit. Post à Nerone, ob Cassii interfectoris Cæsaris imaginem in veteri gentili stemmate, cum titulo, *Duci partium*, restitutam, & inde de civili bello resuscitando suspicionem concitatam, exilio damnatus, & in Sardiniam deportatus, longissimæ ætatis beneficio ad Vespasiani usq; tempora pervenit. A quo cum Romam esset revocatus, brevi pòst diem obiit. Cæterùm quod Capito fuerat Ofilio Magistro suo, idem Sabino Capitonis successori fuit Cassius: Unde quidem factum est, ut Cassius Sabino plerunq; jungatur: cumq; adversantem maximè haberet Proculum, sectæ illæ diversæ ulteriùs propagarentur, quæ ab iisdem quoq; Proculianæ & Cassianæ dictæ sunt. Unus tamen est locus *in l. Plautius 49. ff. ad L. Falcid.* quo contra Sabinum Cassius sentit: non tàm quod veritas aut juris ratio Sabini sententiam non admitteret: quàm quòd ea ipsa principia, quæ à magistro hauserat Cassius, eum non paterentur illius sententiæ adhærere. De quo vide Freherum *lib. 2. parerg. cap. 15.* Plinius ad Geminium lib 7. ep. 24. *Lætor etiam, quòd domus aliquando C. Cassii, hujus qui Cassianæ Scholæ princeps ac parens fuit, serviet domino non minori. Implebit enim illam Quadratus meus, ut decebit, rursusq; ei pristinam dignitatem, celebritatem,*

tem, gloriamq́; reddet, quum tantus orator inde procedet, quantus juris ille consultus. Amm Marcellinus histor. lib. 26. *Ubi verò consiliis impiis jura quidem prætenduntur, & leges, & Catoniana vel Cassiana sententiæ fuco perliti resident judices, agitur autem, quod agitur, ad voluntatem prætumida potestatis, & ex ejus libidine vitæ incidentium necisq́; momenta pensantur, ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta.* Neq; verò silentio prætermittendum, ut sunt sæpè quædam πάθη familiarum certa, nec facilè deleri; ita Cassiorum hereditarium πάθος habitum fuisse, ut severi ac tristes dicerentur. Unde M. Antonius Pius apud Vulcatium Gallicanum, ad Præfectum suum de Avidio Cassio: *siquidem & tu notum habeas Cassium, Cassianæ severitatis & disciplinæ.* Et antè illum de L. Cassio, cujus tribunal, cum prætor esset, scopulus reorum dictus fuit, Cicero in Bruto, *L. Cassius multùm potuit non eloquentiâ, sed dicendo tamen: homo non liberalitate, ut alii, sed ipsâ tristitiâ & feritate popularis: cujus quidem legi tabellariæ M. Antonius Briso tribunus plebis diu restitit, M. Lepido Cos. adjuvante.* Idem Oratione tertiâ in Verrem: *Hic tu medicum, & haruspicem, & præconem tuum, recuperatores dabis, aut etiam illum ipsum, quem in cohorte tuâ Cassianum judicem habebas, si qua res major esset, Papirium Potamonem, hominem severum ex vetere il-*

lâ equestri disciplinâ? Amm. Marcellinus lib. 22. de Juliano Imp. *Verum ille judicibus Cassiis tristior, & Lycurgis, caussarum momenta aequo jure perpendens, suum cuiq; tribuebat.* Iterumq; lib. 31. *Si semel promotos agere didicisset immaniter, Lycurgos invenisse se praedicabat & Cassios.* Quin, quòd Vulcatius ait, *Avidium Cassium tacitè principatum odisse*, accipiendum de omnibus nonnemini videtur. Unde eleganter Scipio Gentilis in notis ad Vulc. Cassium, illud, tacitè, idem valere, quod naturâ & propagatione velut gentis. Nam ejusdem animi C. Cassius, qui Caesarem interfecit: & noster adeò, ut apparet ex titulo sub C. Cassii imagine scripto. Interrogatio illa in sceleribus conquirendis, CUI BONO? cuinam Cassiorum accepta referri debeat, planè incertum est. Nostro quidem non posse, vel illud argumento est, quod, qui antè Cassium vixit, Cicero illius jam tunc in Milonianâ meminit: *Itaq; illud Cassianum, CUI BONO FUERIT, in his prorsùs evaleat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepè parvo.*

ÆMI-

AMINIUS REBIUS] De hoc Tacitus annalium lib. XIII. *Aminius Rebius ex primoribus peritiâ legum, & pecuniæ magnitudine, cruciatûs agræ senectæ misso per venas sangvine effugit, haud creditus sufficere ad constantiam sumendæ mortis, ob libidines muliebriter infamis.* De scriptis ejus nihil exstat, σύγχρονον habuit L. Volusium: sed qui, eodem teste, egregiâ famâ concessit, cum ei tres & nonaginta anni spacium vivendi, præcipuæq; opes bonis artibus, inoffensâ tot imperatorum malitiâ fuisset.

CÆLIUS SABINUS] Successor in juris disciplinâ Cassii Longini: plurimùm Vespasiani Imp. temporibus potuit. Reliquit librum de Edicto ædilium curulium. Tacitus ei Consulatum bimestrem ab Othone destinatum scribit. Meminit ejusdem Agellius *lib. 7. cap. 4.*

SEXTUS POEDIUS] Quo tempore vixerit, incertum est, Libros reliquit de Stipulationibus, item ad Edictum quinq; ac viginti, unde multa citantur in Digestorum libris. Quod indicio est, hominem & satis antiqvum esse, & magnæ authoritatis.

PEGASUS] Proculi successor ac defensor, sub Vespasiano Præfectum urbi (magistratus is erat summæ dignationis, qui non intra urbem Romam tantùm, verùm & intra Italiæ partem urbi proximam, ad centesimum videli-

cet

cet ab urbe milliarium, ſive 750. ſtadia; quod idem eſt, imperii ſui vim ac poteſtatem exercebat) ac pòſt cum Puſione Conſulem egit: Juvenali laudatus Satyra IV. verſibus ſeqventibus:

— — raptâ properabat abollâ
Pegaſus attonitæ poſitus modò villicus urbi.
Anne aliud tunc Præfecti? Quorum optimus, atq;
Interpres legum ſanctiſſimus; omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Juſtitiâ. — — —

Sub Conſulatu illius conditum eſt SCtum Pegaſianum: de cujus in Trebellianum transfuſione verboſiſſimè narrat Tribonianus *lib. 3. Inſtitut. ſub tit. de fideic. hered.* Cui adde Ulpian. Regul. *tit. XXV.* Paull. ſentent. *tit. 3. lib. 4.*

PLAUTIUS] De vitâ hujus nihil conſtat. Citatur tamen ſæpè: ſcriptaq; ejus Javolenus, Pomponius & Paullus Commentariis ſuis illuſtrârunt.

JUV. CELSUS Pater & Filius] De Celſis patre & filio ſic Pomponius. *Pegaſo Celſus: patri Celſo* (ſucceſſit) *Celſus filius, & Priſcus Neratius. qui utriq; Conſules fuerunt, Celſus quidem & iterùm. Javoleno priſco Æburnius Valens.* Ubi quidem Haloander legendum putat: *Celſo quidem, & item Javoleno.* Verùm Florentinam lectionem ideò retinendam cenſet Val. Gulielm. Forſterus: quoniam cum eâ conſentit vulgaris: quoniam eam retinent interpretes pleriq;: quoniam

niam deniq; eã pulchrè defendit Ant. Augustinus *3. emend. 4.* Particula sanè, *& iterum*, eleganter positum pro secundâ vice quis negare ausit?

NERATIUS PRISCUS] Libris ejus in commentario recensitis adde Pontificiales quæstiones, & librum de supplicationibus, quos scripsisse ipsum (adeò nimirùm juris quoq; publici partes ab auctoribus nostris minimè præteritæ) asserit Freherus *lib. 1. parerg. c. 30.*

DOMITIUS LABEO] Hadriani floruisse imperio, alium ab Antistio Labeone, auctor Labittus. Celsum ab eo consultum apparet ex *l. 27. ff. qui test. fac. poss.* scripsisse libros putatur Epitomatum & Epistolarum: è quibus tamen an ea desumta sint, quæ in Pandectis Labeoni adscribi solent, an verò Antistio Labeoni attribui debeant: non una omnium est opinio.

TARISTO] Jurisconsultum fuisse, & doctum, & juris tàm publici quàm privati peritissimum, testatur Plinius *lib. 1. epist. 22.* idemq; *lib. 8. c. 14.* commendat eum, ceu numen aliquod terrestre, in quod dii omnia sua munera contulerint: aitq; huic in omnium penè negligentiâ, & temporum Domitiani iniquitate semper fuisse curæ, sic jura publica, ut privata, sic antiqua ut recentia, sic rara, ut assidua tractare. Epistola lectu dignissima: quæ profectò ideam emendatissimi, & seriò docti hominis tanquam in tabulâ expressisse videtur. Scripsit volumina aliquot

quot ad Decreta Froniana, sive, ut alii legunt, Frontiana.

Vindius Verus] Inter Antonini consiliarios à Julio Capitolino recensetur.

Arrianus] Arrianum initio Senatorem fuisse, deindè studiorum amore ad ocium transiisse Labittus tradit: atq; adeò illum ipsum esse putat, ad quem plures exstant Plinii epistolæ. Meminit & ejus disertis verbis ad Maximum *lib. 3. epist. 2.* cum hoc elogio. *Arrianus Maturus Altinatium est princeps. qvum dico princeps, non de facultatibus loqvor, qvæ illi longè suppetunt: sed de castitate, justitiâ, gravitate, prudentiâ. Hujus ego consilio in negociis, judicio in studiis utor. nam plurimum fide, plurimum veritate, plurimum intelligentiâ præstat. Amat me (nihil possum audentius dicere) ut tu. Caret ambitu: ideò se in eqvestri gradu tenuit, qvum facilè posset ostendere altissimum. Mihi tamen ornandus excolendusq; est.* Librum Arriani de interdictis secundum laudat Ulpianus in *l. 11. ff. de hered. pet.* De re quoq; militari scripsisse eundem putat Labittus: sed qui nominis similitudine haut dubiò deceptus id Arriano tribuit, quod Arrio Menandro ipsemet alibi adscripsit. Alius ab hoc nostro fuit, Arrianus historicus luculentus καὶ φιλαληθὴς: alius item Arrianus Nicomediensis, Epicteteus Philosophus, cognomento νέος ξενοφῶν h. e. novus sive junior Xenophon: qui

ſub Adriano, Marco & Antonino Imperatoribus vixit, honorum etiam particeps, & ad Conſularem usq; dignitatem evectus, ut ait Heliconius, propter eruditionis dexteritatem & excellentiam. *Suidas.*

SALVIUS JULIANUS] Salvianum Julianum Edicti Perpetui authorem, cujus methodum ſeqvutus eſt Juſtinianus in Pandectis, inter Casſianæ ſectæ addictos recenſet Pomponius. Errant itaq; Donellus *lib. 5. comment. c. 5.* & Gœddeus *ad l. 26. ff. de V. S. n. 10. & ſeqq.* qui Julianum è Proculianorum numero fuiſſe tradunt. Cæterùm id non eſt infrequens, Julianum à Casſianis diſſentire, & ad Proculianos accedere. Textus eſt in *l. 1. §. ſi coheredis 14. ff. ad l. Falcid.* nec novum adeò, ut qui ejusdẽ Scholæ fuerunt, à ſeipſis interdum diſſentiant *l. 1. ff. rer. amot. l. 11. ff. de interd.* Mercer. in *Conciliat. p. mihi 74.*

FABIUS SABINUS] Fabium Sabinum, Catonem ſui temporis memorat Lampridius, numeratq; inter ſummos illos jurisprudentiâ aliisq; artibus viros, quorum conſiliis uſus Alexander Severus Imp. tàm multa per tredecim annos ſui imperii quàm ſaluberrimè ſancivit & emendavit: Ælium puta Gordianum, ejus qui pòſt Imperator, patrem, Claudium Venarum, Pomponium Alphenum, Aphricanum, Florentinum, Martianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venulejum, Triphonium, Metianum, Celſum,

ſum, Proculum, Modeſtinum: tùm qui huic conſilio & curiæ præfuêre, duumviros gloriæ & Themidos, Domitium Ulpianum Tyrium, & Julium Paullum Patavinum, Jurisconſultorum principes.

Ulpianus] Franciſcus Polletus hiſtoriæ fori Romani *lib. 5. c. 6.* ut probet Jureconſultorum reſponſa omnigenis diſciplinis referta, ex quibus tanquam ex quodam promptuario abundè depromi poſſunt, quæ ad rem œconomicam, forenſem & politicam pertinent, Ulpianum pro exemplo allegat: quem omnium ferè vernarum, externarum, peregrinarum atq; etiam exoticarum rerum uſu & cognitione callentisſimum fuiſſe, vel ex eo conjicere eſt, quòd *in l. IX. de trit. vin. & ol. leg.* infinita ferè genera vini extranei enumerat: omnium veſtium & ornamentorum, virilium & muliebrium, internorum & externorũ ſpecies recenſet in *l. XXIII. & XXV. ff. de aur. & arg. leg.* Lege autem XIX. & XXVII. omnes auri & argenti facti & infecti ſpecies refert. Inſtrumentorum etiam urbanorum & ruſticorum in *l. XII. de inſtr. & inſtr. leg. l. XVIII. locati*, Eſculentorum verò & poculentorum, id eſt, totius rei penuariæ tanqvam Apitius *l. III. de pen. leg.* Adeò exactè omnia, ut putet quis, mercaturam, agriculturam arteſq; mechanicas, veſtiariam, fabrilem, culinariam exercuiſſe.

HERENNIUS MODESTINUS] Libros de Excusationibus, Græcè scripsit, quo quidem sermone Codicis quoq; Justinianei Constitutionem non paucæ, Novellarum autem pleræq;, non nisi paucissimis exceptis (ne quid de aliorū Impp. Constantinopolitanorum, qui post Justinianum imperitarunt, Edictis & Constitutionibus, de Juris orientalis, ac præcipuè *βασιλικῶν* libris Theophili Institutionibus, Harmenopuli Epitome, & similibus aliis dicam) compositæ sunt. Quas ob id neq; intelligere satis, neq; explicare feliciter possit, Græcæ lingvæ cognitione destitutus. Accursius sanè, quoties aliqua Græca vocabula in legibus Pandectarum aut Codicis occurrunt, aut negat legi posse, aut mirificè somnians nugatur. Cujusmodi illud est somnium, quod somniavit *ad l. 7. omnes dies C. de fer.* Epiphaniarum ab epi, quod est supra, & phanos, quod est sonus: quia sonum desuper acceperunt Magi, ut per aliam viam redirent. Ex *lytis*, quorum in Constitut. de methodo juris discendi meminit Justinianus, idem Accursius *hirqvos vel hircos* facit, quasi subtiliter videant. Nec minùs svaviter & facetè Bartolus post Accursium in *l. si is 21. §. si ἀντι χρησις ff. de pign. & hypoth.* idiomatis Græci ignoratione *antiphonam* pro *antichresi* legit, & nescio quid de duplici decreto commentus, quid antiphona sit, ex Psalmorum primordiis interpretatur. Videat in his exemplis juventus, quid faciat lingvæ Græcæ inscitia, eiq; tantò magis studeat.

TRI-

TRIBONIANUS] De Triboniano Justiniani Imp. Quæstore sive Cancellario, qui non solùm ad Pandectarum compilationem, sed & ad reliqva illa tria nobilissima Juris civilis opera constituenda Principi suo velut architectus quidam inserviit, remq; è malâ meliusculam (optimam enim dicere non ausim) fecit, diversa hominum sunt judicia: dum eum

Ille satis graviter culpat, hic laudibus ornat.

Justiniani quidem de eo judiciorum hoc unum: Tribonian. Illustrissimus, nec non prudentissimus Magister, vir & in ipsis rerum experimentis, & in eloquentiâ & in legibus scribendis satis spectatus, & qui nihil unquam nostrarum jussionum contemsit. in Confirm. ff. §. 9. Sunt econtra, qui haut modò ab avaritiâ omnia venalia habere edoctum, pari cum Stratocle & Democle præposito ac voto ad tribunal, tanquam ad auream messem accessisse, sed & hominem fuisse ajant absurdæ impietatis: adeò ut Impetori suo persvasum voluerit, non moriturum. Cujus quidem rei vetustissimus traditor est Hesychius Illustrius, verbis, qvæ seqvuntur: Τριβωνιανὸς κολακεύων Ἰουστινιανὸν βασιλέα, ἔπειθεν αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἀποθανεῖται, ἀλλὰ μετὰ σαρκὸς εἰς οὐρανὸν ἀρπαγήσεται. ἦν δὲ ὁ Τριβωνιανὸς ἕλλων καὶ ἄθεος. Ex eo duxit Suidas, qui præclaras illius laudes pluribus persequitur. Abuti verò judicio suo, quibus mirum est Iustinianum tàm prolixè de eo sentire, censet omnis eruditionis antiquæ penu Casp. Barthius: cùm ipsemet sit

ille Iustinianus: nec fando quisquam unquam audiverit, hominem simulatorem, quiq; malis artibus ad summum fastigium ascenderit, non in eo tutando satis esse ambitiosum. Neq; verò atheismi suspicione ob id carere, quòd de DEO miranda scripserit. Certè cò magis DEI contemptorem fuisse, quò majora præconia veritati dedit, qui tantoperè illam abhorreret. Qui ergò aliis pietatem præscripsit, sibi ipsi de impietate sententiam dixisse, sese pietatis regulis eximendo. Sed neq; tantam ejus fuisse existimationem, ut non tituli illi potiùs videri possint ordinarii esse ipsius officii & Honorum, cùm ex Procopio notum sit, aliquando ab Imp. ad placandum populum, ipsius dignitati non satis faventem, depositum cum collegâ suo. Hæc excellentissimus ille Philologus *lib. 2. adversar. c. 17.* ac poterant heîc quidem in utramq; partē plura adferri, nisi alii occupâssent, scriptumq; in animo nostro Sophocleum illud esset:

Τὰ μὲν πλειοστεύοντα τῶν λόγων ἄφες.

Interim vide sis Conrad. Rittershusium *in proœmio expositionis Novellarum cap. 2.* nec non Christophorum Besoldum in *præcognitis Pandectarum quæst. 11. & 13.*

Atq; hic quoq; Notarum finis esto: ubi tamen lectorem priùs monuero, in recensendis Romani Iuris interpretibus veteribus Lorichium quam maximè usum fuisse manuductione Bernardini Rutilii: qui omnes illos peculiari libro ele-

eleganter laudavit: & quidem plenissimè, quà res fieri potuit. Ad eum ergò adeat, qui de tot nobilium Iureconsultorum, è quibus plerią; summi Philosophi, summi Oratores, summi etiam magistratus fuêre, rebus præclarè quà bello quà pace gestis plura cognoscere cupit. Tantum enim abest, ut scriptori doctissimo per tumultuarias hasce & ἐξ ὑπογυίου σχεδιασθείσας Notas quicquam derogatum cupiamus: ut potiùs patronum aliquem exoptemus, qui libellum eum, Tractatui quidem Tractatuum inseri meritum, sed haut eò minùs, in paucorum manibus versantem, denuò seorsim vulgandum curet: benevolum intereà lectorem obtestati: ut quâ ingenuitate in gratiam proborum & φιλομαθῶν adolescentium hæc adjecimus, eadem ipse, sive placeant, sive displiceant, excipere ne gravetur.

AD LECTOREM.

NE mireris, amice lector: quòd in commentario meo undeqvadraginta numerantur veteres Jureconsulti: ex qvorum legibus tanqvam flosculis Pandectarum opus concinnatum est: in Epigrammatibus autem non nisi duodeqvadraginta. Diversitatis ratio hæc una est: qvòd sex ac viginti jam sunt anni: cùm epigrammata illa scriberem, ac tunc unum duntaxat Saturninum agnoscerem. Verùm cùm aliqvot post annis commentarium adornarem, req; diligentiùs indagata, duos ejusdem nominis, etsi non ævi, comperirem: factum exinde est, ut numerus qvoq; excreverit: sed qvi tamen in carminibus hau qvaqvam immutatus fuit. Sed est & aliud, qvod te rogatum velim: ne nimirum ægrè feras, qvòd Mantisâ non contentus etiam longiùs lectionis tuæ semitam produco, & novam hanc appendiculam adjungo: in qvâ haut modò Additiones nonnullæ, qvas, qvia lucem aliqvam adferre posse superiori libello visæ sunt, invidere tibi nolui: sed & Prosphonema

ma Synchariſticum: in qvo: præter alia, illuſtratam maximè Juſtiniani ſententiam in l. unic. §. hæc autem. 14. C. de caduc. tollend. *invenies: at non aliâ fini ſubjectum: qvàm ut ſinceram noſtram devotionem erga Principem illuſtrisſimum, qvem libello Patronum legi, magis magisq; teſtatam tibi redderem. Have, mi Lector, & Vale.*

ADDI-

ADDITIONES.

PAg. 39. lin. 23. Divorum Fratrum] sic in legibus nostris frequenter appellantur: quos eadem notione Iulianus in Cæsaribus τὴν τῶν ἀδελφῶν ξυνωρίδα vocat. ἐπεισελθούσης δὲ αὐτῷ τῆς τῶν ἀδελφῶν ξυνωρίδος, Μάρκου καὶ Λουκίου. Quod ita vertit Cunæus: *Dein cùm par Fratrum intraret, Marcus Antonius & Lucius Verus.*

Pag. 44. lin. 9. Commendo tibi provincias] παρακαταντίθεμαί σοι τὰς ἐπαρχίας. propria ultimis illis pietatis curis verba apud Græcos & Latinos. Quo quidem optimi principum judicio Nerati, virtutibus nullum excellentius elogium aut testimonium ἀξιοπιστότερον posse desiderari haut immeritò magnus ille Casaubonus censuit. Dio tamen eâ de re, quam Capitolinus prodidit, nihil habet: idemq; in vitâ Hadriani non Neratium, sed Servianum, imperio maximè dignum Trojano visum scribit. Nam in convivio quodam, cùm ab amicis exegisset, ut decemviros imperio dignos nominarent, paulùm substitit, & mox, ut novem tantùm nominarentur jussit: unum quippe se jam tenere, nempè Servianum, ita scil. apud Dio-

Dionem legendum, non Σεβηριανὸν, rectissimè notat Vir Perillustris Claudius Salmasius.

Pag. 51. lin. 4. undeqvadraginta] Qui quidem simpliciter ab aliis ICtis utplurimùm citantur, non additâ Digestorum voce. *Hering. tr. de fidejuss. c. 7. n. 330.*

Pag. ead. lin. 11. JAVOLENUS] Iabolenum nominat Capitolinus: ejusq; nominis rationem hanc esse putat Salmasius: quòd Iabolenus sit pro *Zabolenus*. ut *jugum*, ζυγὸν, & *Jonarius* pro *Zonarius* apud Nonium, utrumq; autem pro *Diabolenus*. quomodo scriptum eo Capitolini loco se reperisse in optimo codice Palatinæ Bibliothecæ testatur. Sic *Dieta, Zeta*; διώστρα, ζώστρα; *Diabolus, Zabolus*, & similia.

Pag. 53. lin. 19. Proavus paternus] Salvium Iulianum Didii Iuliani Imperatoris proavum paternum fuisse, auctor est Spartianus; Sed à quo cum satis perturbatè descriptum Imperatoris stemma animadverteret Casaubonus, aliud ipse hunc in modum posuit.

Salvius Iulianus bis Coſ. ICtus auctor Edicti Perpetui ſub Hadriano. Afer Hadrumetinus

|

Salvius Iulianus

|

Petronius Didius ſeverus, cui uxor — Æmilia Clara. | Salvius Iulianus.

|

Didius Proculus. | P. Didius Salvius IULIANUS ſeverus AUG. | Numius Albinus.

Utut sit: haut eò minùs inter προγόνους Cæsaris fuisse Iulianum nostrum indubitatò constat. Reliqvias & parietinas Edicti perpetui corpus Juris civilis Genevæ ab heredibus Iohannis Vignon A. C. cIↃIↃcIV, editum nobis exhibet: V. Cl. Gulielmi Ranchini ICti præstantissimi, Advocati Fisci Regii, magno quà labore quà ingenio collectas, atq; concinnatas. ita quidem ut ipsa prætorum verba, quæ extant hodiè, aut in libris nostris, aut apud alios auctores, uncialibus sive majusculis literis, cætera verò minutioribus excudi curaverit.

Pag. 55. lin. 15. IN QVEIS SEMEL] Nisi forte alterâ vice non quidem ordinarium, sed suffectum interpretemur.

Pag. 65. lin. 13. à Julio Capitolino] Verba ejus hæc sunt. *Multa de jure sanxit, ususq; & juris peritis Vinidio* (leg. Vindio, quomodò in optimo codice Palatino reperiri Salmatius testatur, atq; ita in Digestis quatuor minimùm locis vocatur) *Vero, Salvio Valente, Volusio Metiano, Ulpio Marcello & Jaboleno. Salvium* ergò *Valentem* historicus agnoscit: qui & hoc nomine appellatur ab Ulpiano in l. 7. §. 1. ff. de accus. Hisdem criminibus, quibus quos liberatus est, non debet præses pati eandem accusari; & ita Divus Pius Salvio Valenti rescripsit. An verò hic idem sit cum Æburnio Valente, nunc quidem ipse ἐπέχω, viderint alii.

Pag.

Pag. 66. lin. 9. MÆCIANUS] Absq; diphthongo nonnulli scribunt, *Mecianus*. sed alterum rectiùs. Nam & Græci μαικιανὸς.

Pag. 73. lin. pen. post Mnestheum] Fuerunt quidem & alii scriptores coronarii, Philander, Apollodorus, Euphemus, Eubulus, Ælius Asclepiades: sed quorum omnium scripta intercidere. Saturnini quidem curâ nihil absolutius fuisse putat vir summus Carolus Pascalius in præfatione ad lectorem decem de Coronis librorum: quibus nihil eruditius ætas nostra vidit.

P. 125. lin. 19. & ejus quidem Christianæ] Quam nimirùm religionis nostræ mysteriis initiatam, & ab origine constat informatam.

Pag. 148. lin. 23. & 24. ad Masurium Sabinum] Non ergò ad Sabinum illum Virum Consularem, quem Alagabalus jussit occidi, Fabii Sabini, qui sub Alexandro vixit, patrem: uti quidem Lampridius scripsit: sed magno errore. Vide Cujacium in observationibus: cui & Casaubonus accedit.

Pag. 160. lin. 15. & seq. felici Alexandri Imperatoris tempore] Auctor mihi hujus rei Lampridius: cujus quidem aucto-

auctoritatem in ætate ponendâ, qvâ Jureconsultorum unus altervè vixerit, ut nostrates plerosqvè, sic me qvoq;, nisi ubi manifestus error apparuit, haut nego seqvutum fuisse: catalogum in mirùm afferentis multorum Jurisperitorum, qvi in consilio Alexandri fuerunt. At qvia tamen inter eos recensentur, qvi ante Alexandrũ haut parvo intervallo vixerunt, catalogus ille doctiorum nonnemini admodum suspectus: eò qvidem magis, qvòd veteres membranæ Casaubono & Salmasio (at qvantis illis rei litterariæ Duumviris!) laudatæ, nominibus omnium prætermissis, qvi in vulgatis libris post Claudiũ Venatum recensentur, Venato statim Catilium Severum subjungunt, intermediis seqventibus planè omissis: *Pomponius legum peritissimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Marcianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphoninus, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus: hi omnes Juris Professores discipuli fuerunt splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares, & socii, ut scribit Acholius, & Marius Maximus.* Qvid ergo dicendum? num inducenda ista omnia tanqvam spuria & subdititia censebimus? Minnimè putat (etsi Lampridii album heic ibi corruptum auctumq; non diffitetur) Casaubonus: cùm non vero simile sit Lampridium, qvi viginti minimùm Juris peritos Alexandro solitos adesse vitæ ejus initio dixit, è tàm multis solos octo, qvi sublatis iis verbis supersunt reliqvi, puta *Fabium Sabinum, Domitium Ulpianum, Antoninum*

toninum Gordianum (juxta vulgarem lectionem Imperatoris patrem, ex mente autem Salmasii filium) *Julium Paulum, Claudium Venatum, Catilium Severum, & Ælium Serenianum*, nominare voluisse; nullam præsertim caussam adesse arbitratus, cur *Florentini, Marciani, Callistrati, Hermogenis, Venuleji ac Modestini* nomina suspecta esse debeant. At contrà Salmasius, veterum illarum membranarum auctoritate nixus, adfirmare non dubitat: Jureconsultos illos, qvos membranæ non agnoscunt, ab aliqvo sciolo Juris semidoctore infultos & intrusos esse, qvi putaret, Juris omnes illos prudentes, qvi in Pandectis leguntur & nominantur, unâ eademq; ætate vixisse, qvæ Alexandri Severi fuit: qvòd videret nempe Paulum & Ulpianum τῶν νομικῶν coryphæos sub illo Imperatore claruisse. Eamq; sententiam hac insuper ratione confirmat: qvòd cùm ostendere Lampridius satagat, qvi & qvales viri exstiterint, qvi in ejus consilio fuerunt, omnes splendidis elogiis ornet: ut scias, inqviens, qvi viri in ejus consilio fuerunt. At verò sciri non posse, qvi viri fuerint, si nuda & arida tantùm nomina illa habeamus. Debuisse igitur elogio apposito vel notâ qvadam conditionis ac vitæ nobis illos notos facere, qvos ita claros & insignes fuisse in consilio Alexandri voluit demonstrare. Qvæ qvidem licet à viro summo probabiliter disputentur: potior tamen etiamnum Casauboni apud me sententia: eò qvòd, qvos excipit ille, plerosq; Alexandri ævo

vixis-

vixisse mihi persvasum sit. Qvòd si qvicqvam momẽti habet Salmasii ratiocinatio, cur ex cludi Pomponius debet, qvem non sine elogio nominatum historico ex textu apparet? Ad Herennium Modestinum nonne exstat rescriptum Alexandri in l. 11. C. ex qvib. causs. infam.? Proculum Neronis ætate longè ante Alexandrũ vixisse qvis neget aut dubitet? At fuit tamen alius ei ὁμώνυμ@: ad qvem exstant Alexandri in l. 9. C. de adulter. & Gordiani in l. 7. C. de accus. rescripta. Ad Pomponium qvidem speciatim qvod attinet, Alexandri seculo antiqviorem fuisse Casaubonus ipse statuit: tùm qvòd Ulpianus, Paulus, Marcianus, non ut æqvalis hujus meminerunt, sed ut multò vetustioris: tùm qvòd Pomponius ipse priorum Jurisperitorum successionem ultrà Salvium Julianum non proseqvitur. Sed qvod ipsum tamen pro certo adserere nolim: qvi sciam, hautqvaqvam semper validum esse, qvod ab allegatione ducitur, argumentum. E. g. In Papinianum notas scripsêre Ulpianus & Paullus. At qvis hos illius in Præfecturâ Adsessores fuisse neget? Ulpianum & Paullum plus vice simplice Modestinus citat: at hunc ipsum sub Alexandro vixisse Casaubonus contendit. Sic Ulpianum ipse qvoq; Paullus allegat in l. 43. ff. de act. empt. at qvis coævos, qvis collegas fuisse inficias eat? Enimverò nullus dubito; qvin Pomponius, vir ille, qvi

--- --- *in longam produxit fata senectam,*

ante Ulpianum, Paullum, Marcianum scripse-

rit: nec qvicqvam adeo, qvò minus ab iis, qvamvis adhuc vivus ac superstes allegaretur, prohibuerit. Alia modò omitto: cùm in hæc talia operosiùs inqvirere nec nostri instituti, nec tantum nobis modò à gravioribus negotiis sit ocii.

PROSPHO-

PROSPHONEMA SYN-
CHARISTICON

AD

*ILLUSTRISS. EXCELSIS-
SIMUMQUE PRINCIPEM
AC DOMINUM*

DN. GEORGIUM RU-
DOLPHUM, DUCEM SI-
LES. LIGNICII, BREGÆ, GOLD-
BERGÆ, S. CÆS. MAJEST.

CONSILIARIUM ET CU-
BICULARIUM,

*MUSAGETAM BENIGNIS-
SIMUM,*

*Cum divinâ favente gratiâ Natalem quadra-
gesimum in inclutâ Silesiorum metropoli
Wratislaviâ celebraret,*

ſcriptum à

NICOLAO HENELIO, JCto,
Conſiliario Cæſareo, &c.

*CELSIT. EJUS DEVOTIS-
SIMO.*

ILLUSTRISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS,

Dum temporibus coactus, ac necessitate pænè fatali constrictus, in eâdem tecum Urbe, eâq; Silesiæ maximâ hospes modò versor: natalis tui recursus, propositum me silentium abrumpere, ac nuncupandis pro salute Tuâ votis, in publico Tuorum gaudio, ac bonorum omnium applausu, meum quoq; adfectum, obsequium, atq; cultum contestari jubet: ut id ausim verò, præter alias virtutes Tuas, qvas impensè admiror, illa frons mitissima & gratiosissima, illa eximia animi lenitas, illa generosa humanitas vel exteris nota, non tàm hortatur & invitat tacitè, qvàm stimulis qvasi qvibusdam agit, incitat, animat. Atq; hoc quidem eò justiore de causâ; qvod omnium ferè gentium moribus receptum esse constat: ut magnorum Virorum natales, illorum maximè, qvi ita nascuntur, ut bona malaq; eorum ad Remp. pertineant, celebrentur solenniter, ac modis omnibus cohonestentur. Tametsi

etsi enim Christianâ Religione invalescente, anilium q; superstitionum ac ceremoniarum nube discussâ, haut quaquam fas est, ad aram Genii provolvi, tabulis votivis incerare genua, thure illum, vino & libo colere, aut benè olentibus ungventis, ac textis vario de flore corollis exornare: eo nempè ritu, qvem præter alios hisce versibus innuit Tibullus:

Ipse suos veniat Genius visurus honores,
Cui decorent sanctas florea serta comas.
Illius è puro distillent tempora nardo,
Atq; satur libo sit, madeatq; mero:

consvetudine tamen minimè ineptâ, in usu remansit, ut bonas invicem preces Christiani quoq; in æterno, veroq; DEO precemur. Visum itaq; hoc quantulumcunq; officii, quod ab omni usurpatum vetustate, per manûs deindè traditum, & ad nostra usq; tempora propagatum fuit, non prætermittere: ac Tibi quidem ante omnia, ex intimo cordis affectu gratulari: quòd hoc die, quo anniversaria solennitas D. Vincentio Martyri celebratur, ante annos quadraginta, eo ipso videlicet anno, qui & VLADISLAUM, Polonorum Svecorumq; Regem potentissimum, & GEORGIUM GUILIELMUM, Electorem Brandeburgicum Serenissimum, non absq; providâ DEI curâ nascentes excepit, ac viven-

tium in numerum transscripsit, Te haut solùm benè, quod multorum, sed, quod paucorum est, bono publico nasci voluerit Rex ille Regum, ac Dominus Dominantium.

Ευγένειαν *sanè, sivè natalium prærogativam, quod attinet, sicut illa magni beneficii loco vel ideò habenda, quòd quò illustrior cuipiam est ortus, hoc generosior, & ad omnem virtutem proclivior, excitatiorq́; esse soleat indoles, nisi sinisterior fors intervortat educatio: sic eandem Tibi contigisse, nemini os tàm durum, tàm frontem nullam, ut inficiari audeat, fore arbitror: qui modò sciat, natum Tè Parentibus illustrissimis, pientissimis, honoratissimis: Patre quidem* JOACHIMO-FRIDERICO, *Duce Silesiæ Lignicensi ac Bregensi, Archiepiscopatus Magdeburgensis Præposito, qui, dum vixit, deditissimus fuit Religiosæ pietati, ac virtutibus omnigenis adusq́; miraculum sic excelluit, ut etiam-nunc totam habeat Germaniam, laudum suarum theatrum celeberrimum: Matre verò* ANNA-MARIA, *Principe Anhaltinâ, Comite Ascaniæ,* JOACHIMI-ERNESTI *Filiâ, Heroinâ, supraquàm patitur sexus illius imbecillitas, prudente & cordata; ut vel cordatissimus quisq́; ad ejus dotes eximias si respexerit,*

rit, non malè de ea usurpari posse, illud Poëtæ de Cloeliâ;

Vos etenim, juvenes, animos geritis muliebres,
Illaq; Virgo Viri, — — —

ultrò concessurus, Germanos certè Veteres laudaturus sit, qui fœminarum consilia non aspernabantur, & ut ταμεῖον illud prudentiæ politicæ loquitur, inesse eis sanctum aliquid & providum *putabant. Utriusq; domûs illustrissimæ nobilitatem vetustissimam, res in sago fortiter, in togâ feliciter gestas, atq; alia decora multi-varia, quis mei similium fando explicare præsumat? Si vel minimam eorum partem percensere velim,*

Ante diem clauso componat vesper Olympo:
nec epistolæ, sed prolixi commentarii, ac longæ cujusdam Iliados conatus hic futurus sit. Illud quantum est, quòd gens Tua paterna, nulla ambitione, certa annalium fide subnixa, sangvinis sui originem, etsi non à proditoribus & erronibus Trojanis, unde quod per incertissimas conjecturas non repetitum sit, nihil satis antiqvum, satisq; egregium, nonnemo existimat, à PIASTO tamen, totius Poloniæ Principe laudatissimo, continuis & nunquam interruptis Capitum successionibus, ultra octo jam secula derivat. Eo, inqvam, Piasto, cujus posteritas, continua serie,

circiter annos haut pauciores D X L I, *si VVenceslai Bojemi quinquennium exceperis, amplissimo Poloniæ regno, cum sua gloria, & publica populi salute, præfuit: cujus item arbor à radice pullulans, in tot effloruit frondes, tot ramos, tàm longè latèq; expansos, tàm decorè ac splendidè diffusos; ut nullam pænè fas sit inter spectatissimas Europæ numerare familiam, si agnatos pariter & cognatos excutias, qvæ huic illustri non fuerit aliquâ propinqvitate juncta. Cæsares, Reges, Archiduces, Electores, Principes, Archiepiscopi, Episcopi, necessitudinis & adfinitatis vinculo, huic stirpi adstringi, felicitatis partem putarunt: Tibi quidem eò magis suspiciendæ, quòd, quocunq; oculos vertas,* Magnos, Pios, Probos, Sapientes, Fortes, Fideles, *quos imitatione exprimere pulchrum sit, invenias. Jam verò, ad maternum genus si transeamus,* ANHALTINÆ *gentis gloriam propemodùm huic Mundo coævam esse, quis est, qui nesciat? Primam certè originem ejus, Historiæ magnis argumentis persvasæ, ab ipso Ascane, sivè Aschenaze,* Noachi *pronepote, arcessere, atq; sic ad primum usq; mortalium, Adamum referre non dubitant. Adami quippè Filius Seth; hujus Enos; hujus Kenan; hujus Mahala-*

Ialcal; hujus Iered; hujus Henoch; hujus Methusalah; hujus Lamech; hujus Noach; hujus Japhet; hujus Gomer; hujus deniq; Aschenaz, omnium Celtarum Pater; quorum pars maxima Germani. Sed ut maximè obsoleta ista, & à primis mundi quasi incunabulis petita sileamus: hodiernis tamen Principibus Anhaltinis continuæ suæ successiones, à Bernvvaldo, *Harcyniæ, Ascaniæ, & Ballenstadii Regulo, per mille centumq; amplius annos constant. Et ita quidem constant: ut cum potestatem suam & imperium, tunc præsertim, cùm præter avitas & paternas provincias Septemviratum, creandis Imperatoribus, tàm Saxonicum, quàm Brandenburgicum obtinuit, inq; illo duplici fastigio non uno tantùm seculo feliciter perseveravit, longissimè per Germaniam, multò anteà longiùs, hoc est, per totum Orbem, nomen suum atq; existimationem diffuderit, chartasq; omnes & memorias impleverit: in ipsa quoq; Tuos inter Progenitores nonnisi* Magnos, Fortes, Graves, Strenuos, Bellicosos, Placidos, Constantes, Sapientes, Magnanimos, Eruditos, Pios *deniq; contemplari ac recognoscere, haut sine ingenua voluptate liceat. Quodsi ergò natalium celsitas quicquam facit, ad conciliandam justam veneratio-*

nem

nem excelsis mentibus (facit autem quàmplurimùm, quicquid obganniant morosi quidam natalium, sive censores, sive osores) nullus utiq; video, cur Platoni plus imputetur honoris, quòd Græcus sit natus, non barbarus: quàm Tibi, Dux Generosissime, quoniam è talibus Parentibus, è talibus familiis oriundus es, gratulandum censeamus. Equidem non sum nescius, hautquaquam de nihilo esse, vetus illud, & crebro utriusq; lingvæ sermone celebratum: ἡρώων τέκνα πήματα: *experientia præsertim edoctus, sæpiùs contingere, ut malint posteri claritudini suorum Parentum acquiescere, quàm eam augere factis, & ulteriùs promovere: pluresq; adeò per inertiam exiguo tempore decoquere, quicquid est ante partum secundæ famæ & existimationis. At nihil hæc ad* TE, DOMINE; *qui postquam ab extrema pueritia ad pietatem, easq; artes, quæ Semideûm liberos, Heroasq; proximè tangunt, sollicitè formatus fuisti, non modo felicibus auspiciis rerum potiri cœpisti, sed & imperii tui cursum tàm æquabiliter hucusq; decurristi: ut cum raro principatus initiis bonis respondeat, atq; adeò, si excutiantur Veteris & novæ historiæ scrinia, pauci omninò extituri sint, quos de Virtutis Honorisq; via in gurgitem infamiæ Adulatio, Licen-*

centia, copia non præcipitarint; & in quos non conveniat Deianiræ convicium:

Cœpisti melius, quàm desinis: ultima primis
Cedunt:

Tuis contra Virtutibus, quantò ætas prolixior, tantò pulchritudo sit præstantior: cumprimis verò nulli Patrifamilias fortuna liberorum suorum tantæ possit esse curæ, quantæ fuit, atq́ est Tuorum Tibi subditorum salus & incolumitas. O laudem etiam melioribus seculis, nedum isto ferreo, & magnarum animarum sterilissimo raram atq́ inusitatam! Enimverò præcipuum, quod habet Principatus, quoq́ inculcant Principibus omnes Magistri Politices, & omne prudentius ævum, illud indubiè censendum est: Rempublicam non Principis esse, sed Principem Reipublicæ: traditam quippè illi, non Civium servitutem, sed tutelam, ita monente sapientissimo Seneca: φύλακα καὶ ταμίαν εἶναι ὡς κοινῶν, ἀλλὰ μὴ ὡς ἰδίων, ex Aristotelis ipsius sententia: h. e. non esse Principem, quantumlibet Regem maximum, nisi dispensatorem, ut rerum communitatis, non et opum sui peculii: nihil aliud esse imperium, nisi curam salutis alienæ, justiq́ adeò imperii finem esse utilitatem obedientium, & salutem, ut loquitur Ammianus Marcellinus: Salutem deniq; verò Reip. tueri, ut Paullus JCtus, nulli magis conveni-

venire, nec alium suspicere ei rei, qvàm Cæsarem. Atq; hoc ipsum sanè est, quod Tiberius Imperator pulchra voce (utinam & re!) his verbis testatus est, in pleno Senatu: Dixi & nunc & sæpè alias P. C. bonum ac salutarem Principem, quem Vos tantâ, & tam liberâ potestate instruxistis, SENATUI servire debere, & UNIVERSIS civibus; sæpè ac plerumq; etiam singulis: neq; id dixisse me pœnitet. *Pulchra, inquam, voce, & quam compendium instruendi Principis haut immeritò censet Lipsius: ut nimirùm serviat, hoc est, audiat, obseqvaturq; Senatui, & bonis consiliariis: serviat universis, in bono omnium procurando: serviat singulis in justitia administranda, injuria arcenda: sine his utiq; non Princeps futurus, sed Tyrannus. Hoc ipsum est, quod Titus Vespasianus, quem consentiens fama* amorem ac delicias humani generis *vocavit, ante animi oculos habuit: quando, Svetonio teste, si quid præsertim accidisset mali, non modò principis sollicitudinem, sed & parentis affectum unicum suis præstitit: nunc consolando per edicta: nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas.* εὐεργεσίαν *quidem exercendo usq; adeò non defessus; ut recordatus aliqvando super cœnam, quod nihil*

cui-

cuiqvam toto die præstitisset, A M I C I D I E M P E R D I D I, *dixerit. Vox memorabilis! vox laudanda meritò laudataq; ! Vox digna majestate regnantis! & quam adeò Impp. Theodosius & Valentinianus A A. egregiè imitati sunt, qvum in Constitutione de indulgentiis sic rescribunt.* Nobis perit deterior possessor effectus, nobis proficit non gravatus : *apertiùs autem principio Constitutionis de patrimonialibus rei domesticæ, verbis utiq; , cum & ipsa nihil nisi pietatem & χρηστότητα paternam sperent, ubiq; legi dignis :* Prope est, ut beneficium accepisse credamus, qvoties offertur nobis caussa præstandi: & diem periisse procul dubio suspicemur, qvem nostri numinis munificentia non illustrat. *Hoc item ipsum est, quod & Claudianus suo Augusto, Honorio ingerit & commendat ;*

Tu civem, Patremq; geras: Tu consule cunctis,
Non Tibi: nec Tua te moveant, sed publica vota:

& Principibus persvasum ex recentioribus cupit Michael Hospitalius, magnus Galliæ Cancellarius :

Sic Reges hodiè, quibus est data summa potestas,
Communis deceat personam aptare Parentis:
Et patriæ genitos, non Patri ducere cives.

Hoc

Hoc ipsum præterea est, quod magnificè de se receperunt quà Trajanus, cum non aliter pro se vota publica suscipi voluit, quàm si benè Remp. ex utilitate omnium rexisset; quà successor ejus Hadrianus, cum in Concione & Senatu sæpè dixit: Ita se Rempub. gesturum, ut sciret, rem populi esse, non propriam. *Hoc ipsum est deniq;, quod Justinianus Imperator, legislatorum alpha, edicit:* Imperialis benevolentiæ proprium esse, omni tempore subjectorum commoda investigare; *idemq; observatum sibi nobili illa gloriatur sententia:* Quod communiter omnibus prodest, hoc rei privatæ nostræ utilitati præferendum esse censemus, nostrum esse proprium subjectorum commodum imperialiter existimamus. *Imperialiter sive Βασιλικῶς, id est, imperatorio more ac modo. O effatum Principe dignissimum, & sapientiæ politicæ plenissimum! nec atramento, sed auro, sceptro, non calamo scribendum! & à Regibus Principibusq;, sive quos alios quocunq; nomine* DEUS *in hoc mundi theatro altius posuit, ac tutores esse status publici voluit, publicè legatur, eisq; identidem suggerat, ut qui sient, meminerint. Ut nimirùm non se tantùm, immò se minimùm cogitent, sibi præ-*

po-

ponant universos: cogitent, inqvam, non præesse solùm, sed prodesse: Rempub. in sinum eorum hac ratione confugisse, ut foveatur, non cecidisse sub pedibus, ut prematur: regiam potestatem non esse inventam hominum perniciei, sed saluti: illiusq́ adeò demum Principis, sapientissimi Senecæ verbis, magnitudinem stabilem fundatamq́; esse, quem omnes tàm supra se, quàm pro se sciunt: cujus curam excubare pro salute singulorum atq́; universorum cottidiè experiuntur: cujus vigilantia omnium somnos, labor omnium ocium, industria omnium delicias, occupatio omnium vocationem defendit.

Hic nempe, non alius principatuum finis: hoc munus & officium. à quo passim non duntaxat Patres Patriæ, Parentes publicos, Parentes generis humani, sed & Principi poetarum omnium ποιμένας λαῶν, *amabilissimis utiq́ nominibus adpellatos fuisse constat. Notum illud Chrysantæ* χρυσοῦν ἔπος *apud Xenophontem in Cyropædiâ,* ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ: *ideò, puta, quia subjectis, ut propriis liberis, curâ, affectu, effectu adest, qværit, prospicit. Atq́ hinc sanè fons & origo* Patriæ Patris *titulo: qvem consentientibus votis, Senatus Populusq́*

lusq; Romanus, Augusto Cæsari (ab exemplo indubiè Ciceronis, qui primus ita dictus fuisse legitur) voce Valerii Messalæ detulerunt, idq; Nonis Februariis factum Ovidius secundo Fastorum canit, anno, ut putat Casaubonus, ab U. C. DCCLVIII. De quo sic rursum Seneca: Hoc quod Parenti, etiam Principi faciendum est: quem appellavimus Patrem Patriæ, non adulatione vanâ adducti. Cætera enim nomina honori data sunt. Magnos, & Felices, & Augustos diximus, & ambitiolæ majestati quicquid potuimus titulorum, congessimus, illis hos tribuentes. Patrem quidem Patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaq; post illos ponens. *Ab Augusto idem titulus aliis postea adhæsit; nec sat scio, an quisquam illo dignior: quàm ille Optimi nomen jure optimo consecutus. de quo sic Plinii Panegyricus:* Itaq; soli omnium contigit tibi, ut Pater patriæ esses, antequam fieres. eras enim in animis, in judiciis nostris. Nec publicæ pietatis intererat, quid vocarêre, nisi quòd ingrata sibi videbatur, si te Imperatorem potiùs vocaret, & Cæsarem, cùm Patrem experiretur. Quod quidem nomen quâ be-

benignitate, quâ indulgentiâ exerces? Ut cum civibus tuis quasi cum liberis parens vivis?

At alterum illud Homericum elogium, ab idiomate Spiritus sancti minimè alienum: qui de Regibus pronunciavit, eos Pastores esse, & pascere populum, *hoc est, salutem populi curare ac defendere. Sic videlicet* DEUS *Davidi:* Tu pasces populum meum Israëlem, & tu eris Dux super Israëlem. *Sic de eodem Asaphus:* Et elegit Davidem servum suum, & accepit eum à caulis ovium. A tergo fœtarum adduxit eum, ad pascendum Jacobum, populum suum; & Israëlem hæreditatem suam. Qui pavit eos pro integritate cordis sui: & summâ prudentiâ manuum suarum duxit eos. *Sic deniq; de Messiâ ipso Michas Propheta, cujus vaticinium allegant, cum Hierosolymas venissent Magi, primarii Sacerdotes,* ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου, τὸν Ἰσραήλ: qui pasturus est, *h. e. qui reget, & gubernabit Populum meum Israel. De illo ipso porrò titulo, quàm pulchrè Div. Chrysostomus* περὶ βασιλείας *Orat. IV. Tiberianum illud apophthegma;* Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere, *illustrans:* αὐτὸ δὲ τοῦτο ἔοικε δηλοῦν Ὅμηρος, καὶ

nisi detestabile, & malo publico nasci potuisse. Id quàm verum fuerit, ipsamet postmodum docuit experientia: eò quippè Nerone prolapso, ut omnibus flagitiis sacrum caput devinciret: ut continuis mortibus exhauriret florem civitatis: ut post fratrem veneno sublatum, post Uxorem & Matrem peremptas, Doctoris quoque atque educatoris sui cæde sese contaminaret: & ut maximè facinorum suorum commentarios, infamiæ metu cremaret; tamen omni suâ potentiâ impedire non potuerit, quò minus hodieque cognoscantur publicè: ipseque non amplius homo, sed monstrum, sed portentum, sed piaculum, sed fatale malum generis humani audiat. Adeò nimirum non solùm privatos homines, quorum nomē plerumque, vel multò citiùs occidit, sed omnium maximè summos Viros extimescere incorruptam Posteritatis censuram oportet: nedum Tyrannos illos imitari, qvi præsenti potentiâ extingvi posse, etiam seqventis ævi memoriam arbitrati, in ipsa clarissimorum ingeniorum monumenta sævierunt. Sed ô ridendam illorum, ut cum maximo prudentiæ Magistro, & sincero humanarum actionum arbitro Tacito dicam, socordiam! quippè cum contrà punitis ingeniis gliscat auctoritas: neque aliud, qui eâdem sævitiâ usi, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam pepererint. Bonis verò Principibus, ac nullius sibi consciis culpæ, tantum

abest, ut posteritatis memoria reformidanda sit, ut superstites adhuc jàm solidam voluptatem capiant, & ex illustribus suis factis, & ex eorum memoriâ, quam futuram prævident sempiternam simul & honorificam. Hoc est ipsis in adversis solatium, in prosperis gaudium, in dubiis hortamen, in ancipitibus incitamentum.

Hymnum esse præmium Regum, scitè, verè, pereleganter dixit Pindarus: Idemq; alibi huic adfini sensu laudem eam, quæ hymnis continetur, æquare eum, qui laudatur, Regibus: Euripides Διὸς παῖδα, h. e. Jovis filium, honestum esse, ac conveniens hymnis argumentum: Theocritus etiã sublimiùs, præmium esse Deorum ipsorum immortalium. Porrò autem, etsi tale præmium est munus virtutis, tamen traditur manu & ministerio illius, cui & ingenium, & studiorum honor hanc concesserunt eloquendi facultatem. Non Reges sua Regna, non insignia Regni faciunt in hominum Judiciis magnos, in ore longinquorum celebres, apud seram posteritatem venerabiles; sed tantæ rei peragendæ, hoc est, homini ad immortalitatem usq; sublimando, doctorum hominum scripta, partem multò maximam conferunt. Quippè horum stilus de morte, de oblivione, de vetustate, de mendaciis, de invidiâ, de maledicentiâ magnificè triumphat: atq; adeò eos, qui virtuti constanter militâ-

runt

runt, injuriæ ereptos, famæ commendat, & æternitati. Hujusmodi præcones Tibi, DOMINE, ac tui similibus, qui justitiæ custodes, virtutis præstites, flagitiorum vindices, altores Ecclesiæ, Scholarum tutores, &, ut uno verbo dicam, Patres Patriæ, haut modò consentientibus populorum vocibus, auditis, sed & reverà estis, adeò nunquam (ne quid heîc dicam de præmiis, apud Deum repositis) deerunt: ut tùm quoquè, cùm & ipsi ex oculis recesseritis, & nos itidem rebus humanis exempti fuerimus, prodituri sint magni ingenii ac facundiæ Viri; qui facta atq; famam nominis vestri, sine gratiâ aut ambitione, bonæ tantùm consciẽtiæ pretio ducti, cum laude, & bonis recordationibus prosequentur. Cujus quidem rei, ad Te quod peculiariter attinet, Magne & Inclyte PRINCEPS, eò major mihi fiducia, quod ut artes æstimas, quas olim didicisti, immò curiosâ diligentiâ tractâsti, ingenia foves, qui Tuum coluisti, animum ipse in tàm negotioso Principatûs munere divinarum humanarumq; rerum noticiâ & meditatione pascis, nec quicquam magis habes in votis, quàm ut eruditione, quæ seculi calamitate, non ex merito premitur, à contemptu vindicatâ, pristino splendori Musæ restituantur: sic scripta de Te eruditorum hominum elogia legendo, id jam nunc consequutus

es, ut gloriæ Tuæ ſuperviverе, atq; intereſſe quaſi poſteritati videaris.

Quis non Tyrannos oderit,
Luciſq; deteſtetur horam inutilem,
In quâ nefandi Spiritum
Hauſiſſe vitalem feruntur?

At ô felices Lygii Ducatûs incolas: quibus tàm benignum Caput, tàm ἤπιος πατὴρ, *tàm ſalutis publicæ amans Princeps, Numinis immortalis beneficio contigit! Bis felicem Principē, qui ſubditos ſuos tantâ ſibi benevolentiâ, & amore tantô devinxit: ut nemo quidem ſit, niſi quem malus fortean Genius occupavit, qui iſthac luce, quæ auſpicium illi vitæ protulit, vel ut cum Annæo Lucano loquar* — primùm vitales tradidit auras, *non lingvis, animisquè, non fauſtis acclamationibus faveat: atq; haut modò benè natum, ſed & natum bono publico juxta mecum gaudeat!*

Quod ſi votis tandem peragenda res eſt, ut eſt profectò, quid novcbo optatius, quàm ſi aut Plinii verbis Celſitudinem Tuam ita compellem: Opto, DOMINE, & hunc natalem, & plurimos alios, quàm feliciſſimos agas: æternâquè laude florentem, virtutis tuæ gloriam, & incolumis, & fortis ſuper alia operibus augeas: *aut Meliſſi noſtri mellitiſſimi verſiculis, paululùm immutatis, ſic eandem affare juvet:*

GEORG-

GEORG-RUDOLFE vive : vive (poſcimus.)
Diu ſuperſtes : non ſine
Nutu Jehovæ ſceptra principalia
Capeſsis : Is faxit Tui
Perſæpè Natalis recursûs annuos,
Votis celebremus piis.

Facio utrumq; quantâ maximâ poſſum devotione: haud equidem Genium tuum, ſed DEUM *Opt. max. à quo cùm cætera hominis felicitas exſpectanda eſt etiam privatis hominibus, tùm vel maximè Regibus ac Principibus, qui per ipſum regnant, & juſta decernunt, ut Regum ſapientisſimus Salomon pronunciavit, ſuppliciter veneratus obteſtatusquè: Te ut is, ac Tecum juxta illuſtrisſimũ Fratrem* JOHANNEM-CHRISTIANUM, *Heroëm illum* DEO *& hominibus charum, verè Homericum iſtum* ποιμένα λαῶν, *qui divinam ſuã dignitatem pari juſtitiâ, pari ſapientiâ adminiſtrat, hujusdemq; Filios generoſisſimos, juventutis Germanicæ Principes, Sileſiæ ocellos, quos & ipſos non ſperamus tantùm, ſed certò jam proſpicimus, immò experimur Reipubl. bono ad ſumma genitos, cœleſti Angelorum ſuorum præſidio tegat: Spiritu ſuo* ἡγεμονικῷ *conſilia Veſtra regat, ad gratum ſibi, glorioſum Vobis, Eccleſiæ ac Reipublicæ ſalutarem, utilem populis Veſtris finem dirigat: atq; hanc inter alias Vobis gratiam largiatur: ut, cùm in hiſcè civilium turbarum & diſcordia-*

rum tempestatibus, vestram quoq; ratem non unâ facie Neptunus exerceat, undis ipsi ac procellis majores, quicquid astra minantur, sustineatis: victo Pelago, ex fluctibus decumanis, & vadis, in Bonæ spei portum feliciter enavigetis: ac quicquid adeò annorum præteritorum licentia depravavit, pacis malaciâ emendatum, reformatum, instauratum tandem aliqvando videatis. Paucis, inqvam, sed quæ fida sit, & sincera; quæ à pactione servitutis, aut ignominiæ sejuncta, nihil habeat insidiarum; quæ talis sit in recessu, qualem dulce nomen promittit; quâ reddantur deniq; quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt DEI, DEO. *Hæc namq; sola est profectò, quæ nos Patriæ, nobisq; Patriam restituere possit, à tot malis morbisq; quibus pulcherrima qvondam terrarum, crudelem in modum affecta & oppressa est, omnium quippè libidini exposita, omnium ferro concisa ac mutilata, si non rectissimè mox valentem & incolumem, spirantem tamen, & melius indies sperantem.* Omni Regno (*Theodorici Regis apud Cassiodorum monitio est*) desiderabilis debet esse tranqvillitas, in quâ & Populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur. Hæc est enim bonarum artium decora Mater; hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit,

mo-

mores excolit: & tantarum rerum ignarus agnoſcitur, qui eam minimè quæſiſſe ſentitur. *Quin & aurem mihi vellit Aurel. Prudentius, & hoc quoq; à ſe dictum jubet meminiſſe:*

Pax plenum virtutis opus. Pax ſumma laborũ:
Pax belli exacti precium eſt, preciumq; pericli:
Sidera Pace vigent: conſiſtunt terrea Pace:
Nil placitum ſine Pace Deo.

O utinam cedant arma togæ! cedant immò, vota Putranico, quod & noſtrum eſt, arvis & aratris, aut in hæc mutentur! Pulchriùs utiq; vomer, quàm enſis ſplendet; bidens, quàm haſta: meliùs ferro vervacta agrorum, quàm agmina agricolarum proſcinduntur. Colantur rura: ſatis jam ſangvine humano ad fertilitatem imbuta ſunt: vigeant commercia: ſatis latrociniis diſtracta ſunt. Reddant rura, reddant commercia Principibus, quod bellum abſtulit: reddant populis, quod bello amiſerunt: ut quantum his reſpirare dabitur, tantùm illis quoq; rurſus accedat.

— — Coëant in fœdera dextræ
Quà datur

eorũ omnium, quorum res Chriſtiana in manu eſt. Sit illis mens quieta, & divini humaniq; juris intelligens, quæq; ſemper cogitet, lectam ſe miniſtram ad regendos, non perdendos homines, Deo chariſſimum animal. Hoc optamus, hoc ſperamus, hoc dies noctesq; à te poſtulamus, atq; contendimus, ô

æter-

æternum Numen, qui non Deus es dissensionis, sed pacis: cujus nobis Filius, Servator Jesus Christus, pacem suam legavit, ac per optimum interpretem nos voluit, quantum fieri potest, quantũ in nobis situm est, cum omnibus pacem quærere. O mucro Domini, quando ergo conquiesces? Redi in vaginam tuam, & aliquantisper quiesce. Cogita de nobis cogitationes pacis, non afflictionis, *ac placatus iniquitatibus nostris, propitius nobis in Filio, bellis impone finem, qvẽ expectamus. Tu solus hoc facies, DEUS Opt. Max. mortalium nemo.*

Et hæc erant, PRINCEPS clementissime, quæ ad Te natali Tuo quadragesimo gratulabundus volebam; majoris utiq; Minervæ munera, tam festa præsertim, & solenni luce meritum. Sed quia tenuitas mea, cujus probè mihi sum conscius, aliud non est passa: ac Dii quoq;, qui potissimũ in munere est, animum laudant, & oblata haut precio, at relligione æstimant: submissè devoteq; rogo, ne hanc animi mei propensionem vel potius pietatem erga Te adsperneris, sed in ipso qvamvis & rerũ & verborũ defectu, affectum tamen & conatum sereno vultu ad manûs Tuæ oscula admissum æqui boniq; consulas, meq; deditum invidendis tuis ornamentis favonio uberioris gratiæ proseqvaris. Sic bono publico, bonum ipse publicum, vive, vige, salve diutissimè, optatissimè. Vratislaviæ è Musæo, a. d. XXII. Jan. A. C. CIↃ IↃC XXXV.

IN SYMBOLUM PRINCIPIS
Sacrum & Augustum.

SI DEUS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS?

SI DEUS esse velit nostris à partibus : ecqvid
Hiscere nos ausit contra inimica cohors ?
Nempe DEUS : qvi nos tanto dilexit amore :
Ut nec qvid Nato parceret unigenæ.
Sed daret hunc nobis, qvo nil dare majus habebat:
Vindice qvô vita est & reparata salus.
Qvi dedit hoc tantum pignus : qvî cætera juxtim
Tàm pius haut donet munificusq; Pater ?
Qvî facilem sese rebus non præstet in arctis?
Et ferat adflictis auxiliator opem?
Sperantes in se qvî non soletur amicè?
Atq; suis instans arceat omne malum?
Seu Caro, seu Satanas igitur, seu Mundus & Orcus
Insidias nobis exitiumq; struant :
Seu Fortuna tonet : seu Marspiter infremat armis :
Intentet trepidas seu fera Morta minas :
Hos tamen atq; alios vincemus fortiter hostes:
Dum vult à nostris partibus esse DEUS.
Unus hic ipse Tuum, PRINCEPS Celsissime, Asylum est.
Unus hic ipse Tuum Robur & Auxilium.
Id qvod symbolico testatum lemmate reddis,
Exprimere hoc qvoties ore stylóve soles.
Pol sapis! Haut alius, qvi nos servare potis sint :
Haut alii, qvorum munere lætus agas.
Scæva tibi qvoties atq; adversa omnia? curis
Libera nec gravibus noxq; diesq; fuit?

Vivis

Vivis adhuc tamen: & DOMINI miranda tueris:
Omnibus illa qvidem concelebranda modis.
Vivis adhuc, inqvam, atq; alacer præconia dicis:
Adstitit adflicto qvi Tibi, opemq; tulit.
Incolumem qvi Te præsertim præstitit, inter
Tot mala, tot belli qvæ pepercre vices.
Magne Heros! curis longum Vale scribe molestis:
Atq; uni porrò fidere perge DEO.
Si pro Te DEUS est, pro Te ut solet esse: nocebit
Fraus Tibi nulla; oberit vis qvoq; nulla Tibi.
Si pro Te DEUS est: contra Te nemo, nihilq; est:
Immò inimicus erat qvi Tibi, amicus erit.
Si pro Te DEUS est: Tibi terra polusq; favebunt:
In vitâ & mediâ morte beatus eris.

Errata insigniora sic corrigantur.

In ipso Commentario.

P*Ag.* 2. *lin.* 2. & 3 *LEGENDUM, texerem. l.* 3. *vixerit. l.* 5. τὸ *in expungatur. p.* 3. *l.* 9. *quanto. p.* 7. *l.* 4. *vocat; Ciceroni. l.* 22. *præsertim Coss. p.* 8. *l.* 28. *ex. p.* 10. *l.* 23 &. 24. *est. l.* 33. *Venuleia. p.* 11. *l.* 3. & *l.* 4. *ei. p.* 13. *l.* 7. *caussa. p.* 14. *l.* 4. *videbatur. l.* 6. *adseverassent. l.* 10. *virtutibus. l.* 25. *interpretatur. l.* 31. *tertia. p.* 15. *l.* 7. *luculenter. l.* 28 *sollemne. p.* 16. *l* 3. *Galbæ. p.* 17. *l.* 22. *masculè. p* 18. *l.* 9. *doctoribus. l.* 22. *dixit Qvintilianus. p.* 19. *l.* 20. *Fuit* &. *p.* 21. *l* 5. *qvod. p.* 23. *l.* 3. *virtutis. l.* 27. *legatorum. p.* 24. *l.* 1. *legatis. l.* 16. *C. Marii. jussu C. Fimbria. p.* 25. *l.* 5. *Marius. l.* 24. *de usur. p.* 26. *l* 21. *quam. p.* 27. *l* 10. *verosimile p.* 20. *l.* 22. *Prob. p.* 30. *l.* 7. λεόντιον. *p.* 32. *l.* 5. *spiritus. l.* 6. *qvidem. l.* 4. *libertatem. p.* 34. *l.* 26. *divisos. p.* 36. *l.* 15. πλεὶ τῶν. *p.* 37. *l.* 4. *quidditatem. l. ult* πολυχαφώτατος. *p.* 40. *l.* 7. αὐθυπεύθυνος. *l.* 18. *Trajano. p.* 41. *l.* 15. *profecto. l.* 17. *Præfectum. l.* 22. βραχυλόγος. *l.* 25. *Bebriacense. p.* 42. *l.* 18. *Cassionorum nimirum, ut p.* 43. *l.* 13. *spiritu. l.* 23. *ex. p.* 44. *l.* 6. *Trajano. p.* 45. *l. ult.*

l. ult. nomen. p. 49. l. 29. multum. p. 51. l. 16. imperio. l. 25. ait. p. 53. l. 13. patriam. l. 18. imperio. p. 55. l. 1. successorum. l. 16. Bell. p. 57. l. 5. ne nimirum. l. 30. ingenii & doctrinæ. p. 58. l. 19. quod. p. 60. l. 7. discipulis. l. 13. memorans illum. l. 15. ἀλόχους. *p. 64. l. 15. Illustr. p. 65. l. 2. provinciam. p. 66. l. 9. Mæcianus. l. 14. successores. l. 15. Antoninum. p. 67. l. 2. Gessidiæ. l. 7. debere. Sed. l. 12. Salvii. p. 69. l. 15. sexdecim. p. 70. l. 17. pronunciaverit. l. 26. concedere. p. 73. l. 6. sui. l. antepen. Mnestheum. l. pen. immarcessibilem. p. 67. l. 14. larario. l. 15. aditu. l. 26. mystagogus, sive præceptor. l. ult. imperium. p. 77. l. 2. Hendecceus defendit. p. 79. l. 10. Nevizanus ait. p. 81. l. 5. Ayta. l. 10. Jurisprudentia. p. 82. l. 11. requirant. l. 21. nullum Epicharmi. p. 84. l. 12. Ciceronis. Nam. p. 87. l. ult. imperantibus. p. 88. l. 3. gentilissimo. p. 90. l. 27. nugis. p. 92. l. 8. PAPINIANUS. l. 20. videndos l. 22. distinuimur. id. p. 93. l. 7. nervum. l. 27. eum. l. 28. imperii. p. 96. l. 19. nimirum. l. 21. numero. p. 97. l. 17. numen. p. 100. l. 6. HSS. (in modus. l. 18. quid. p. 101. l. ult. is. p. 102. l. 19. atq. l. 24. debetur. p. 103. l. 14. quod. p. 104. l. 6. politica, omnibus. l. 12. dimovere. l. 15. Zenoniana. l. 22. veims rectius videris. p. 105. l. 6. scriptores. p. 111. l. 2. positus. p. 114. l. 21. Anthimus. p. 115. l. 7. hos. l. 10. Divine. l. 11. posteriorum. l. ult. comes. p. 171. l. 27. Romanis. p. 123. l. 7. Cynulcus l. 21. ononin Caculcatarum. l. 29. Cynulcus. p. 125. l. ult. tam. p. 128. l. 7. Sieclingen. p. 129. l. ult. Syria. p. 130. l. 1. Christianisq.?) l. penult. honeste. p. 131. l. 7. singulari. p. 133. l. 23* δεικνύωαι. *p. 136. l. 18. frumen. p. 137. l. pen. & ult. veluti abjecti. p. 141. l. ult. in marg. addatur Novell. 21. p. 145. l. 8. debere. p. 147. l. 13. Ibinces. p. 149. l. 21. audet. l. ult. Bernardino. p. 150. l. 10. conscendit: etsi. p. 153. l. 8. Rep. p. 154. l. 13. exjungunt. l. 14. tenere. p. 155. l. 18. sententiarum Impér. p. 157. l. 26. Bouchardi. p. 160. l. pen.* κοίνου[illegible] *p. 161. l. 10. alias l. 25. acute. p. 162. l. 11. sapientissimi. l. 17. ubertate superare. p. 163. l. 10. etsi rem comm. p. 164. l. 21. quo. l. 23. claro. p. 165. l. 9. Pompeio. l. 15.* καὶ ὑ. *p. 166. l. 14.* γνώσεως. *l. 23. Censorii. p. 168. l. 9. Bartoli. l. 28. renascentes. p. 171. l. 14. Fumo. p. 172. l. 7. deciperent. p. 174. l. 25. lædere. p. 177. l. 8. scriptionibus. l. 10. edicti. l. 18. eadem. l. 28. salutare. p. 180. l. 12. Arcadius. l. 28. quum. p. 183. l. 3. Qui, quod. p. 185. l. 30. interpretari. p. 187. l. 16. ea. l. 22. adaptari p. 191. l. 17. easq. p. 192. l. 13. præmagistri. l. 20. eundem. p. 196. l. 14. ejus. p. 198. l. 12. ac. l. 15. Beselecii. p. 200. l. 11. reputare, Spiritus. l. 12. jubentur. p. 201. l. ult. desierunt blasphemi. p. 202. l. 1. inundarunt. l. 25. sidentem. l. 27. qua sint.*

In Marginalibus.

Pag. 3. lin. 3. ver. l. ult. tanta. p. 6. l. 12. ac. p. 24. l. 8. lib. 1. l. 10. Flor. p. 26. l. 4. n. 20. l. 9. Gulicl. p. 28. l. 3. 17. p. 32. l. 6. Tulden. p. 34. l. 13. Bus. p. 37. l. 8. convent. l. 11. leg. 1. p. 44. l. 2. Corn. p. 49. l. ult. 54. p. 53. l. penult. amot. p. 54. l. 1. de Jurisd. p. 68. l. 20. c. 12. & l. seq. ad l. Jul. p. 7[illegible]. l. [illegible]. obl. p. 77. l. 13. hercisc. l. antepen. clivo. p. 79. l. 3. Sylv. p. 80. l. 6. cred. p. 81. l. 1. Bouric. p. 99. l. 1. leg. 15. p. 100. l. 3. Haitrõ. p. 101. l. 6. Haitron p. 107. l. 3. export. p. 110. l. 5. Cod. de. p. 115. l. 1. veris. p. 117. l. 2. Trebell. p. 119. l. 3. varis

riar. p. 129. l. 1. *Ritteribus.* p. 137. l. 7. *Speckh.* l. 12. *postul.* p. 139. l. 4. *Ambosianum.* p. 147. l. 3. *Eccl.* p. 152. l. 16. & 17. *de Reg. Jur.* p. 153. l. 11. *leg.* p. 154 l. 9. *leg.* 30. p. 157. l 4. *de l.* 5. *claris.* p. 158. l. 11. *leg.* l. 12. *leg.* p. 162. l. 23. *differt.* p. 164. l. 6. *Jac.* p. 165. l. 6. *fideic.* *libert.* l. 7. *Lorichius.* p. 174. l. 10. *Mayn.* p. 178. l. 8. *Dinner.* p. 185. l. 2. *contrah.* l. 11. *de V. S.* p. 185. l. ult. §. *veteres.*

In Mantisâ.

Pag. 208. l. 7. *Tàm.* l. 18. *falleris.* p. 211 l. 9. θεοὶ. *caetera* p. 224. l. 11. *calamoq;: quid.* p. 230 l. 13. *Sophon.* p. 234 l. 5. *recta.* p. 242. l. 1. *Astréa.* l. 18. *Sit.* l. 22. *dolosas.* p. 243 l. 14. *P. Servius.* p. 244. l 25. *Officia.* p. 247. l. 17. *diversa: simultas.* p. 245. l. 11. *Caracalla.* p. 255. l. 11. *feriis.* p. 260. l. 19. *accusati.* p. 363. l. 22 *Plantia.* l. 25. *quâ.* p. 265. l 23 *probant.* l. 25. *Sophum.* p. 267. l. 25. *Italiâ.* & *paulo post.* *sua* p. 270. l. 10. *triumphavit.* p. 272. l. 27. *cautiones.* p. 273 l. 7. *consuluissent.* l. 10 *spinasato.* p. 274. l. 2. *Claudia.* p. 275. l. 7. *pestiferas.* p. 277. l. 23. *Alberici.* p. 278. l. 5. 538. l. 7. 565. l. ult. *princeps.* p. 279. l. 9. *Quum admodum.* p. 280. l. 8. *ac* l. 22. *Nepotem.* l 21. & p. 282. l. 26. *Albidium.* p. 287. l. 26. *casis.* p 288. l. 27. *epit.* p 289. l. 15. *uter.* l 27. *describit* p. 292. l 21. *superavitq;.* p 293. l. *antepen.* *VERGINIVS.* p. 301 l. 19. *negotii.* p 303. l 7. *nullius.* l. 12. *Raevardus.* p. 305. l. 3 *ff. de.* p. 305. l 25. *Mamusa.* p. 310. l. 4. *aliis.* p. 311. l. 10. *intimam* p. 315. l 7. *Ravardo.* p. 316. l. 15. *proavum.* p. 317. l. 1. *Sub.* p. 320. l. 6. *exstat.* σύγχρονον. l. 18. *PÆDIVS.*

Leviora quae sunt, sigillatim enumerare supersedeo: & quaecunq; illa fuerint, in praefatione praesertim, & ultimis occernionibus, quos relegere hâc vice non potui, lectori pro suo judicio & aequanimitate emendanda, tollenda, supplenda relinquo.

F I N I S.